IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS ORATIO PARÆNETICA AD GENTES.

EIVSDEM DE MONARchia libellus.

Ioachimo Perionio Benedictino Cormæriaceno interprete.

Eiuſdem Perionij in eoſdem libros commentationes.

Ad D. Franciſcum Boherum Maclouienſem pontificem.



LVTETIÆ PARISIORVM,

Apud Iacobum Dupuys, ſub inſigni Samaritanæ, è regione collegij Cameracenſis.

1554.

Cum gratia & priuilegio.

IOACHIMVS PERIONIVS BENEDICTINVS CORMOERIACENVS D. FRANCISCO BOHERO. *Pontifici Maclouienſi,* S. P. D.

QVOTIESCVNQVE *memoria repeto qui qualéſque homines me
ſibi beneficiis iam à prima ætate maximè deuinxerũt, id quod ſæpiſſime
facio: toties te in primis Dionyſiúmq; Briconetũ auunculum tuũ, pro
eo ac debeo, id eſt, iure & numerare ſoleo & habere. Dionyſius enim
Briconetus, quem honoris cauſa iterũ nomino, cùm paulò pòſt quàm ſa
cris Benedicti ſanctiſſimi clariſſimiq; viri in cœnobio Cormœriaceno initiatus eſſẽ, eius
cœnobij præfecturã adeptus eſſet, me iam tum vt probus parens filium tractare cœpit,
id eſt, bonis & moribus imbuendũ, & literis atque diſciplinis inſtituendũ curauit: nec
tantùm in eorum quibus me tradiderat, fide diligentiáque ponebat & acquieſcebat,
quin ipſe aut depoſita, aut certè ſummiſſa perſona, quam grauẽ multis modis induiſſet,
eũ in locũ in quo primas literas in cœnobio diſcebã, veniens, & exigeret ſæpe à me quæ
nobis explanarentur, & materiam quã præceptor dictaſſet, à me in latinũ ſermonẽ con-
uerſam, legeret & exquireret. Atque hæc quidẽ illius beneficia mihi cum meis cõdiſci
pulis cõmunia fuerũt: ea autẽ quæ ſequuntur, propriè ad me voluit pertinere. Cùm triẽ-
nio ferè pòſt quàm præceptore caruiſſẽ, ſumma diſcendi cupiditate incenſus, Lutetiám-
que Pariſiorũ, vrbem omnium bonarũ artium magiſtrã ſpectans, eo quòd tandem aliquã-
do ipſe petere Latina oratione quam confeciſſẽ, auſus eſſem, facilè ab illo impetrato, huc
veniſſem: iſq; biennio vix exacto eos qui mihi omnia ad illud tempus quæ ad victũ perti-
nerẽt, ſuppeditarãt, ſuã illã in me benignitatẽ claudere velle cõperiſſet: ipſe ſtudiorũ meo-
rum patrociniũ, cùm me operã non perdidiſſe cognouiſſet, & libentiſſimè ſuſcepit, & ſuſ
ceptũ libentiùs ad extremũ vſq; vitæ diẽ tenuit ac prorogauit, & me tibi moriens, quẽ-
admodum quidã mihi de te auditũ narrauit, cõmendauit, vt curſum ſtudij Theologici
quod iam ingreſſũ me cõficere vellet, ijs opibus quas relinqueret, ſuſtentares & iuuares.
Quam quidẽ illius cõmendationẽ tam eximiæ ſingulariſq; in me volũtatis teſtẽ & in-
dicem, tantũ habuiſſe apud te authoritatis, quantũ voluerit, & ipſe profiteor, & tu, ſi res
in cõtrouerſiã veniat, chirographis, quibus quantũ à te acceperim, ſignis etiã adhibitis
affirmauerim, potes docere. Sed quorſũ, inquies, iſta vel meorũ vel auũculi mei in te meri
torũ cõmemoratio? Vt nõ tu ſolùm intelligas, ſed cæteri quoq; hoc ſibi perſuadeant, duos
vos ſecundũ Deum doctrinæ quæ in me eſt, mihi authores ac principes extitiſſe. Hoc
equidem & verbo ſemper, & re ſæpe, id eſt, ijs officijs quæ duci potuerunt ab ijs literis
quas veſtra benignitate vſus didici, præ me tuli. Nam vt de re, quoniam de verbo &
prædicatione nulla eſt cõtrouerſia, dicã, cùm eodem ferè anno, quo philoſophici ſtudij
curſum confeciſſem, Titi Liuij conciones, quas in cœnobio, antè quàm huc venirem,
collegiſſem, argumentis commentariiſque illuſtratas Huberti Suſannæi, quo tum a-
doleſcente adoleſcens multùm vtebar, conſilio adductus, diuulgare conſtituerem, totum
opus in Dionyſii Briconeti pontificis Macloui ẽſis auũculi tui nomine apparere volui:
idémq; paulò pòſt in Saluſtij, & Quinti Curtij aliorúmq; cõcionibus quas adhuc domi
continui, feciſſem niſi Ioannes Ganerius paulò pòſt ad me ſcripſiſſet, ſibi ab illo datũ eſſe
negotiũ, vt me etiam atq; etiam admoneret, aut mihi potiùs vetaret, ne deinceps in ſtu-
dijs humanitatis, in quibus ſatis magnos progreſſus feciſſẽ, verſarer: totúmq; me potius ad*

Theologiæ ſtudium conferrem. Idque fecit, quòd vereretur, vt ego interpretor, ne nimium ſtudium quod in illis literis me poſiturum ex libri eius editione quaſi auguraretur, Theologicum retardaret aut impediret: mallétque me idem mei ſpecimen in diuinis literis & diſciplinis dare. Quanquã non antè eius iuſſu quieſcere potui, quàm paulò pòſt tẽpus illud Symphoſii veteris poëtæ ænigmata quæ in bibliotheca Cormœriacena inueniſsem, formis excuſa ad Ganerium miſerim, quòd vererer, ne ſi ad ipſum miſiſsem, me cõtumaciæ condẽnans, ſuũ in me animũ vel deponeret, vel certè immutaret ac remitteret. Triennio pòſt ferè migrauit, vt ſcis, à vita, iſq; mortuus meum illũ dicendi ſcribendiq; morẽ quẽ viuus, vt dixi, retardauerat, atq; adeò mihi eripuerat, eidem mihi inuitiſsimo renouauit ac reſtituit. Quòd ſi mihi hoc loco occurras, quaſi hæc pugnent, mihi eius morte maximè inuito priſtinã illam ſcribendi conſuetudinẽ, quã tam libenter ſeruarẽ ac tenerẽ, eſſe redditã: ſic velim habeas, me non rem ipſam ad quã natura (id ne rectè, alij viderint) propenſus ſim ſpectare, ſed cauſam, quæ mihi luctuoſa & funeſta in primis fuit. Scripſi enim tum de eius mortui laudibus orationẽ, cuius mihi vitã multis de cauſis chariſsimã fuiſſe rectè poſſum dicere: Sed ſcripſi tamen, eámque cùm diuulgare formis vellẽ, tu mihi viſus es digniſsimus, ad quẽ illam mitterẽ, vt ex ea tu, cuius liberalitate iam ſtudia mea quodã iure hæreditario niterentur, & quàm liberalis in me auunculus tuus fuiſſet, & quàm grato in illũ viciſsim animo eſsẽ, & quam de me ſpem opinionémque cõcipere atque habere poſſes, intelligeres. Atque hoc primùm meæ in te fidei & quaſi deditionis teſtimoniũ fuit. Sequuta ſunt, nec ita multò pòſt, alia permulta, nec minus clara & illuſtria. Nam & libros decẽ Ariſtotelis de Moribus ad Nicomachũ filium, & de optimo genere interpretandi, ac de coniungẽdis Græcis cũ Latinis librũ, & particulas quæ extant tam Timæi Platonis, quàm Arati quos libros totos Cicero cõuertit, cũ Græcis eodẽ propè tẽpore, id eſt, vno, eodémq; anno, & biennio pòſt Porphyrij inſtitutiones, Ariſtotelíſque de Categoriis ac de interpretatione libros, & paulò pòſt Axiochũ Platonis, tũ Ariſtotelis de primis analyticis libros duos in tuo diuulgaui nomine. Hæc ſunt, quæ adhuc eò ad te miſi, vt ijs & ego me tibi gratũ probarẽ, & omnes qui noſtra ætate ſunt & futuri ſunt, te atq; Dionyſiũ Briconetũ ſtudiorũ meorũ patronos fuiſſe intelligant, ijdémq; ſi quẽ ex eis fructũ percipient, vos omnibus beneuolẽtiæ officiis proſequãtur. Id quod non ſolũ vt in his libris qui iam diuulgati ſunt, faciant ab eis maiorẽ in modũ peto, atq; adeò eos obſecro & obteſtor, ſed etiam in iis quos & nunc ſcribo de rebus diuinis, & poſthac ſcripturũ me eſse ſpero. Neq; enim æquũ eſſe arbitror, me qui omnia quæ in me ſunt rationis dicendi, artíſque diſſerendi, & rerũ diuinarũ ſcientiæ própria, veſtris beneficiis vſus didicerim, mittere ad vos, quæ de illis artibus ac diſciplinis ſcripſero: quæ autẽ in Theologia, id eſt, principe atq; domina ſcientiarũ artiúmque omniũ ſcripſero, ad eoſdem vos nõ mittere. Itaq; nunc Iuſtini philoſophi & martyris mitto ad vos, id eſt, ad te qui vtriuſq; perſonã induiſti, libros duos, alterũ de Monarchia, alterũ qui inſcriptus eſt, Parænetica ad Gentes oratio. Quid agat, aut quibus de rebus in his diſſerat, non eſt quòd hoc loco exponã: præſertim cùm ijs in cõmentarijs quibus eos libros illuſtraui, bene longa oratione ea omnia quæ artis ſunt, id eſt, artificium quod vocãt, explanauerim, libróſq; nominauerim, ex quibus teſtimonia sũpſerit. Reſtat ergo hoc vnũ, vt te vehemẽter etiã atq; etiam rogẽ, vt qui ſuperiores libros quos ad te de rebus humanis miſi, probaueris, hos qui res diuinas, quæq; ad religionẽ noſtrã pertinent profitentur, eò meliore animo, quò diuinæ res humanis præſtant, te accepiſse præ te feras. Vale.

Lutetiæ Pariſiorum pridie idus Iunias. M. D. LIIII.

IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS ORATIO PARÆNETICA, ID EST, ADMONITIO, ſiue adhortatio ad Gentes, Ioachimo Periònio Benedictino Cormœriaceno interprete.

A PRINCIPIO orationis qua vos mihi admonẽdos cen
ſui, Gentes, precor à Deo vt & mihi ea ſuppetant, quæ a-
pud vos dici debent, & vos ſuperiore contentione reli-
cta, maiorum veſtrorum errore liberati, nunc ea quæ ex-
pediunt, ſequamini : rati nihil vos ſceleris in maiores ve
ſtros eſſe admiſſuros, ſi hoc tempore ea quę pugnant cũ
ijs quæ anteà minùs pręclarè & rectè ab eis decreta cõſtitutáq; ſunt, vobis
vtilia videantur. Diligens enim accuratáque rerum conſyderatio, cùm cer
tiore periculo verum comprobauit, ſæpe ea etiam quæ præclarè & bene
habere viſa ſunt, alia eſſe demonſtrat. Quoniam igitur nobis de vera re-
ligione oratio proponitur, qua nihil præſtantius ac melius ijs conſtitutum
B eſſe arbitror, quibus certum fuit ſine periculo vitam degere propter iudi-
cium, quod poſt huius vitæ finem ac terminum futurum eſt (quod qui-
dem non modò maiores noſtri & prophetæ & latores legũ ex Deo nun-
ciant, verùm etiam ii qui apud vos ſapientes ſunt habiti, nec poëtæ tan-
tùm, ſed etiam Philoſophi, qui ſe verã diuinámq; notitiam ac ſcientiam
apud vos tenere profitentur) mihi præclarũ viſum eſt prmùm tã noſtros
quàm veſtros religionis magiſtros & doctores conſyderare, qui, quot, &
C quibus temporibus fuerint, vt & ij qui antèhac falſam religionem à ma-
ioribus acceperunt, nunc cùm hoc ſenſerint, à veteri illo errore liberen-
tur : & ipſi maiorum noſtrorum qui Deo chari fuerunt, religionem nos
planè ac dilucidè tenere doceamus. Quóſnam tandem, Gentes, religionis
veſtræ præceptores doctoréſque profertis? Poëtás ne? At operam perdetis
ſi dicatis apud eos, qui poëtarum ſententias cognitas habent. Sciunt enim
illam maximè ridiculam Deorum procreationem, quæ ab eis commemo-
D rata eſt, quemadmodum licet nobis ex Homero ſummo & primo apud
vos poëta cognoſcere. Is enim primùm quidem Deorum originem ex a-
qua principium habuiſſe commemorat. Scripſit enim his ferè verbis,
Oceanúmque genus diuûm, Tethynque parentem.
Deinde ea etiã quę de eo qui primus ab eis deus habitus eſt, quẽ ſæpe homi
nũ deorúmq; parentem nominat, neceſſariò cõmemorãda ſunt. Ait enim,
E *Iuppiter, eſt cui hominum belli permiſſa poteſtas.*
Eum ergo non ſolùm in bello exercitui præfectũ fuiſſe, ſed etiam periurii
Troianis per ſuã filiam auctorẽ fuiſſe dicit. Atq; hũc ipſum vt amantem, &
miſerum & dolentem, & inſidiis à cæteris diis appetitum Homerus inducit,
& interdum de ſuo filio dicentem,
Hei mihi, cum Sarpedona, quo non charior alter,

Parca mihi ſæuo Patrocli ſuſtulit enſe. A

Interdum de Hectore,

Ipſe virum circum mulctari mœnia amicum
His oculis video, dolor hinc me conficit ingens.

Quæ autem de aliis Diis,qui Ioui inſidias paraſſent,dicat,ij ſciũt,qui hos verſus legunt,

Quando Iouem ſuperi reliqui vincire pararunt,
Et Iuno, ſimul & Neptunus & Attica Pallas.

Quòd ſi eum , quem Briareum appellant Dij, Dij non metuiſſent,ab eis Iupiter vinctus fuiſſet. Quæ verò de fœdo Iouis amore ſcripſit Homerus,neceſſe eſt vos ex iis admoneri quæ dixerit.Facit enim eum cum Iunone ita loquentem, B

Non ita namque dea mihi amor,non virginis vnquam,
Sic animum fuſus circum præcordia vicit.
Nec cùm Ixioniæ flagrabam vxoris amore.
Nec me cùm Danaes pulcherrima forma tenebat.
Gratáve Phœnicis ſtimulabant virginis ora,
Córve meum Alcmenam ardebat Thebis,Semelénque,
Nec cum Latonam aut Cererem ardebat, neque te ipſam.

Quæ autem de aliis dijs ex Homeri verſibus cognoſci poſſunt, quǽq; ab C hominibus pertulerunt,nunc ſequitur vt exponamus.Nam &Martẽ Venerémque à Diomede vulneratos eſſe narrat,& multorum etiam aliorum Deorum mala calamitatéſque exponit.Sic enim ex Diona filium conſolãte intelligere poſſumus.Hæc enim ei dicit,

Hæc mea quæ pateris conſtanter filia perfer.
Multi nam patimur cæleſtia regna tenentes
A mortalibus,& mutua nos pungimus ira :
Mars tolerat,quando Otus eum fortíſque Ephialtes
Conſtrictum pariter crudeli compede reddunt:
Et tamen in ferro tredecim ſic menſibus hæſit. D
Fert Iuno,cùm ipſam fortis puer Amphytrionis
Dextram per mammam telo vibrante triſulco
Percuſſit,vulnus tum ipſa inſanabile cepit.
Fert quoque ſummus in his velocem Pluto ſagittam.
Hunc eadem cùm progenies Iouis Aegitenentis
In porta triſtem ad commixta cadauera ſtrauit.
Aſt Iouis ipſe domum longúmque petiuit Olympum
Corda dolens, fixúſque doloribus,atque ſagitta
Per fortem transfixa humerum eſt,ſed corde dolebat. E

Quòd ſi aliorum deorũ bella quæ inter ſe geſſerunt,recordari vos decet, idem vos Poëta veſter admonebit his verſibus,

Tantus erat motus Diuis certantibus ortus.
Contra Neptunum nam ſtabat Phœbus Apollo
Tela tenens : contra Martem Dea cæſia Pallas.

A *Iunoni obſtabat geſtans de more pharetram*
Ex auro,nitidi Phœbi germana Diana.
Latonam contra ſtabat Cyllenius heros.

Hæc atq; alia eiuſdem generis de diis vos Homerus docuit:nec Homerus tantùm,ſed etiam Heſiodus. Quamobrem ſi fidem habetis ſummis poëtis veſtris, qui etiam deorum veſtrorum ortum prodiderunt, neceſſe habetis,aut eos tales eſſe exiſtimare, aut certè credere eos deos non eſſe omnino.Quòd ſi poëtas dicere ac proferre non vultis,quòd fabulas eis fingere licitum eſſe dicatis, multáque quæ à vero abhorrent de diis menda-
B cij plena exponere: quóſnam alios religionis deorum authores doctoréſque vos habere arbitramini?aut quo pacto hanc illos didiciſſe contenditis?Fieri enim nō poteſt,vt res tam magnas támque diuinas cognitas habeant ij qui anteà eas à doctis non didicerint.Sapientes omnino ſcilicet, atque philoſophos dicetis. Ad hos enim quaſi ad arcem & propugnaculum confugere ſoletis, cùm quiſpiam vobis poëtarum de diis narrat ſententias.Quoniam igitur à veteribus & primis ordiri oportet, illinc ducto exordio, vniuſcuiuſque ſententiam commemorabo,quæ multò magis ridicula eſt,quàm ea quæ de diis poëtæ literarum monumentis prodiderūt. Thales enim Mileſius,is qui primus de philoſophia quę naturę rationem
C profitetur,cœpit dicere, principium rerum omnium aquam eſſe cenſuit. Nam & ex aqua omnia conſtare, & in aquam occidere dicit. Anaximander autem hunc conſecutus, qui & ipſe Mileſius fuit, infinitatem rerum omniū principium eſſe poſuit: quòd & ex ea omnia orirentur, & in illam reciderent omnia. Tertius Anaximenes,qui etiam Mileſius fuit, aëra huius vniuerſitatis principium eſſe dicit.Ex eo enim omnia oriri, & in eundem omnia occidere vult. Heraclitus verò Metapōtinus, initium rerum omniū ignē eſſe dicit, quòd ex igne omnia generentur,& in ignē recidāt omnia.Anaxagoras Clazomenius principia rerum omniū ea quæ ex ſui ſimilibus partibus conſtant, poſuit. Archelaus Apollodori filius Atheniēſis aëra infinitum & interminatum,eámque craſsitudinē & rari-
D tatem, ſiue tenuitatem, quæ ei offuſa eſt,principium rerum omnium eſſe vult.Hi omnes cùm Thali ſucceſſiſſent,eam quā naturalem ipſi vocabant philoſophiā tractauerunt.Tū deinceps ab alio principio Pythagoras Mneſarchi filius Samius & principia numeros,& aptas eorū cōpoſitiones & cōcentus appellat, & ex vtriſque conflata elementa, & prætereà vnionem, infinitúmque duernionem.Epicurus Neoclis filius Athenienſis principia
E eorum quæ ſunt,corpora quæ ratione cognoſci intelligíque poſſunt, eſſe dicit,quæ inani participare nō poſsint,nec oriri,nec interire,nec rūpi,nec efformationem cōpoſitionémque ex partibus accipere,nec commutari:ob eámque rem animo rationéque ea cerni atque cognoſci. Empedocles Metonis filius Agrigentinus elementa quatuor,ignem,aëra,aquam atque terram: duas autem poteſtates quæ principij vim obtineant, concordiam & diſcordiam,quarum illa coniungendi conciliandíque vim habeat, hęc diuidendi atque diſtrahendi. Videte igitur eorum qui apud vos ſapientes

habiti ſunt, perturbationem & confuſionem, quos vobis authores doctoréſque religionis deorũ fuiſſe iactatis: quorum cùm partim aquã rerum omnium principium cenſuerint, partim aëra, alij ignem, quidam aliquid eorum quæ antè commemorata ſunt: hi autẽ omnes probabilibus quibuſdam rationibus ad ea confirmanda quæ non rectè eis viſa ſunt, vtantur, ac ſuam quiſque ſententiã pręſtantiorẽ probare conentur: hæc ab illis dicta ſunt. quomodo igitur tutum eſt eos qui ſalutem adipiſci cupiunt ſentire ab iis veram religionem pòſſe diſci, qui hoc ſibi perſuadere non potuerint, ne inter ſe diſsiderent, nec ſuæ ipſorum ſententiæ repugnarent? Sed fortaſſe ij qui à veteri & antiquo illo errore diſcedere liberaríque nolunt, nõ ſe ab iis quos dixi, ſed ab iis philoſophis qui clariſsimi perfectiſſimíque homines apud ipſos habiti ſunt, religionis rationem accepiſſe cõcedunt, nempe à Platone & Ariſtotele. Hos enim perfectam verámque religionem percepiſſe cenſent. Ego verò libenter ab eis qui hæc dicunt, quæram, primùm à quibus illos doctos eam ſcire teneréque dicant. Neque enim poſſunt qui res tam magnas támque diuinas non ab aliquibus qui ſcirent didicerint, vel ſcire ipſi vel aliis rectè tradere. Deinde verò exquirendas conſyderandáſque eorũ ſententias arbitror. Intelligemus enim, num etiam vterque horum ea quæ alteri aduerſantur, cenſere videatur. Quòd ſi hos etiam non inter ſe idem atque vnum ſentire inuenerimus, facile eſſe arbitror eorum etiam cognoſſe ignorationem. Nam Plato quidem tanquam è cælo delapſus ſit, reſque cæleſtes omnes & accuratiùs didicerit & acriùs viderit, ſummum Deum in ignea eſſentia eſſe vult. Ariſtoteles autem in libro quem ad Alexandrum Macedonem ſcripſit, breuiter philoſophię ſuæ rationem exponens, apertè & perſpicuè Platonis refellit ſententiam, cùm ait, non in ignea eſſentia eſſe Deum, ſed quintam quandam ætheream naturam immutabilẽ fingit, in qua Deum eſſe cẽſet. Scripſit enim his ferè verbis, Non quemadmodum quidam eorum qui in rebus diuinis errant, Deum in ignea eſſentia eſſe confirmant. Deinde quaſi non contentus ea qua in Platonem vſus eſſet, contumelia, Homerum etiam qui ex rep. ab illo eiectus fuerat vt mendax, & qui, vt ipſe ait, tertius ſimulachrorum à veritate remotorum imitator erat, teſtem citat ad ea confirmanda omnia quæ de ętherea natura diceret. Scripſit enim hoc modo, Sic enim etiam Homẽrus ait,

A B C D E

Iuppiter accepit ſummum ſuper æthera cælum,

quòd vellet Homeri teſtimonio ſententiam ſuam dignam cui credatur oſtendere, cùm ignoraret, ſi Homero teſte ad docendum ſe vera dicere vteretur, fore, vt multa eorum quæ ipſi viſa eſſent, non vera eſſe viderentur. Thales enim Mileſius, qui primus apud eos philoſophiæ initia dedit, accepta ab eo occaſione, primas eius de principiis improbabit damnabítque ſententias. Nam cùm Ariſtoteles ipſe Deum atque materiam principia eſſe poſuerit, Thales qui omnes qui apud eos fuerunt antiquitate vincit, aquam eorum quæ ſunt principium eſſe dicit. Ex aqua enim omnia & conſtare vult, & in aquam occidere. Coniectura autem

hoc

A hoc colligit,primùm quidē ex eo quòd ſemen animantium omniũ quod
principium eſt,ſit humidum:deinde quòd ea omnia quæ terra ex ſe edit,
humore alantur & fructum ferant,humoris autē expertia exareſcant.Prę-
tereà tanquàm ei illa ex quibus coniectura illud aſſequitur , minimè ſa-
tiſfaciant, Homerum etiam vt dignum cui fides habeatur,teſtem produ-
cit,dicentem hoc modo,

Oceani,cunctis qui rebus origo paratur.

Quid ergo cauſæ eſt,quamobrem non meritò ei Thales dicat,Cur tu Ari-
ſtoteles,qui Platonis quidem ſententias refellere & euertere vis,Homerũ
B vt verum dicentem audis:noſtram autem contrariam eſſe ſententiam ſta-
tuens,Homerum non verum putas dicere?Eos igitur qui apud vos admi-
rabiles præſtātéſque ſapientes extiterunt,ne de cæteris quidē inter ſe con-
ſenſiſſe,ex his etiam facile eſt cognoſcere . Cùm enim Plato tria vniuerſi
principia eſſe velit,Deum,materiam, atque ſpeciem,Deum quidē effecto-
rem omnium, materiam ſubiici ac ſubſterni primæ eorum quę generātur
origini,quǽque ei cauſam molitionis afferat : ſpeciem autem vniuſcuiuſ-
que eorum quæ oriuntur exemplar : Ariſtoteles ſpeciei vt principij nuſ-
quàm mentionem facit,duo verò principia eſſe dicit, Deum & materiam.
C Rurſus cùm Plato in primo ſummi cęli inerrante globo,& primũ Deũ,&
ſpecies eſſe dicat:Ariſtoteles ſecundum primum Deum, non ſpecies , ſed
Deos quoſdā qui ratione intelligantur eſſe ponit.Sic igitur de rebus cæ-
leſtibus inter ſe diſſentiunt & diſcrepant,vt par ſit intelligi,eos qui nō ſo-
lùm ea quæ hîc apud nos ſunt,cognoſcere non potuerunt,ſed etiā de illis
inter ſe diſſederunt , non dignos viſum iri quibus de cæleſtibus loquen-
tibus credatur . Ac eis ne de humano quidem animo qui hic eſt , ora-
tionem & ſententiam conſonare & conſtare , ex iis quæ ab vtroque de
eo tradita ſunt,intelligi poteſt. Nam Plato quidem in tres partes diuiſum
eum eſſe dicit,quarum vna rationis ſit particeps , altera in qua irarum ar-
D dor exiſtat,tertia quæ voluptate alatur.Ariſtoteles autem nō vult tam la-
tē patēre animum, dum partes quæ intereunt non comprehēdit, ſed eam
modò, quę rationis eſt compos . Et Plato quidèm omnem animum im-
mortalem eſſe clamat:Ariſtoteles autem eum ἐντελέχειαν.id eſt,actionem ſi-
ue perfectionem nominans,non immortalem,ſed mortalē eum eſſe vult.
Ille eum ſempiterno motu cieri dicit : Ariſtoteles immobilem eſſe, & o-
mni motui antecedere.Sed de his quidem pugnantia inter ſe ſentire do-
centur.Si quis autem eorum ſcripta accuratè conſyderare velit , ne in ſuis
quidem decretis ſtare voluiſſe videbuntur . Plato enim aliàs tria rerum
principia dicit eſſe , Deum, materiam & ſpeciem: aliàs quatuor. Adiun-
git enim etiam animum generalem , ſiue, vt ita dicam, vniuerſalem,rur-
E ſuſque materiem quam anteà origine & ortu carere dixerat , poſteà ori-
ri aſſerit:& qui ſpeciei principium proprium àntè dederat, ac per ſe con-
ſtare dixerat , eam poſteà in mentis perceptionibus eſſe dicit : prætereà
cùm omne quod ortum eſt,interire antè ſtatuiſſet,poſteà quædam eorum
quæ oriuntur, diſſolui & interire non poſſe dicit. Quænam cauſa eſt,cur

non ſolùm inter ſe,verùm etiam ſecum diſcordent ij qui apud vos ſapiẽtes habiti ſunt?Quòd ſcilicet noluerunt à doctis diſcere, ſed putarunt ſeipſos humano ſuo ingenio & induſtria poſſe res cęleſtes planè cognoſcere:cùm ne eas quidem quæ in terra verſantur,potuerint.Humanum enim animum nonnulli eorum qui apud vos philoſophiæ laude excelluerunt, in nobis,alij circum nos eſſe ponunt. Neque enim de hac re idem ſentire voluerunt,ſed quaſi diuiſa variè ignoratione,de animo etiam certandi ſtudio diſputare inſtituerunt, & inter ſe diſsidere. Alij enim eorum animum ignem eſſe volunt,alij aëra,nonnulli mentem, quidam motum,alij exhalationem,alij vim ex aſtris delabentem & defluentem, nonnulli numerum qui vim mouendi habet, quidam aquam quæ ortum efficit. Omninóque inconſtans quædam & diſſentiens apud eos renuit valuítque opinio: eáque hoc vno eis qui verè iudicare poſſunt, laude digna videtur, quòd errantes,nõ vera dicentes alij alios vltrò citróque inſtituerunt refellere. Quoniam igitur nihil veri de religione à magiſtris veſtris diſci poteſt, cùm vobis ſatis argumenti ignorationis ſuæ mutua diſſenſione præbuerint, hoc conſentaneum arbitror, confugere ac venire ad maiores noſtros, qui & ætatẽ doctorum veſtrorũ magis ſuperarunt, & nihil ex ſuo ſenſu nos docuerunt, nec inter ſe diſcreparunt, aut alij aliorum ſententias refellere ſtuduerunt, ſed ſine vincendi ſtudio,& diſſenſionibus quam à Deo ſcientiam accepiſſent, nobis tradunt. Neque enim natura duce, nec cognitione induſtriáque humana tam magnas diuináſque res homines ſcire poſſunt, ſed Dei conceſſu ac munere, quod è cælo in ſanctos viros tum delapſum eſt, qui artes verbo non requiſierunt, nec vllam orationem ad certandi vincendíque ſtudium retulerunt: ſed ſemetipſos puros, ſancti Spiritus opera præbere debuerunt, vt diuinum illud plectrum quod è cælo delapſum erat, quaſi citharæ cuiuſdam vel lyræ inſtrumento iuſtis boníſque viris vtens, nobis diuinarum cæleſtiúmque rerum ſcientiam notitiámque patefaceret atque enunciaret.Quocirca tanquam vno ore linguáque vna de Deo, de mundi molitione,de hominis effectione, de animi humani immortalitate, de iudicio quod poſt hanc vitam fiet, denique de omnibus, quæ nobis neceſſariò cognoſcenda tenendáque ſunt, congruenter & conuenienter inter ſe, nos docuerunt: atque id cùm diuerſis diſiunctíſque temporibus & locis diuina nos diſciplina imbuiſſent. Ordiar igitur à Moſe,qui primus apud nos & propheta & lator legis fuit: primúmque tempora quibus claruit, cum omni teſtimonio,quod apud vos multum ad faciendam fidem valeat,exponam. Non enim ſolùm ex diuinis hiſtoriis quæ penes nos ſunt, argumenta ad hæc docenda depromere conabor, quibus vos veteri maiorum veſtrorum errore imbuti & impediti, nondum fidem habere vultis: ſed etiam ex veſtris quæ nihil à noſtra religione differunt: vt intelligatis,omnibus veſtris ſiue ſapientibus, ſiue poëtis, ſiue hiſtoricis, ſiue philoſophis,ſiue latoribus legum multò antiquitate præſtare Moſem, qui primus nobis

A fuit doctor diuinæ religionis,quemadmodum nobis Græcorum hiſtoriæ
indicāt. Ogygis enim & Inachi tēporibus quos etiam terra editos non-
nulli apud vos fuiſſe exiſtimauerunt,Moſis vt Iudæorum Imperatoris &du
cis mentionem fecerunt.Sic enim & Polemo primo Græcarum hiſtoriarū
libro meminit,& Appion Poſidonij filius in libro quem in Iudæos ſcri-
pſit , & in quarto hiſtoriarum . Scribit enim , Inacho Argiuorum rege
regnante,Amaſide Ægyptiis imperante, defeciſſe Iudæos,quibus Moſes
præeſſet.Ptolemæus etiam Mendeſius res Ægyptiorum exponens, idem
quod hi omnes ſentit.Ii quoque qui res Athenienſium conſcribunt Hel-
B lanicus & Philochorus is qui Atticas hiſtorias ſcripſit,Caſtor,Thallus &
Alexander Polyhiſtor,& præterea ſapientiſsimi Philo & Ioſephus qui de
rebus Iudæorum ſcripſerunt , de Moſe vt admodum veteri & antiquo
Iudæorum principe loquuntur . Ioſephus enim cùm hiſtoriæ antiqui-
tatem librorum etiam inſcriptione ſignificare vellet , principio hiſto-
riæ ſcripſit his verbis , Flauij Ioſephi Iudæorum antiquitatis , antiqui-
tatem hiſtoriæ , ἀρχαιολογίαν id eſt, de antiquitatibus libros nominans.
Diodorus etiam qui apud vos clariſsimus hiſtoricorum habetur , is
qui bibliothecas diſtinxit & diſtribuit , cùm triginta continuis annis
& Aſiam & Europam vt ipſe ſcripſit , magna cum diligentia pera-
C graſſet , plurimarúmque rerum ipſe ſpectator extitiſſet, quadraginta hi-
ſtoriæ ſuæ libros ſcripſit . Is cùm in primo libro ſe ab Ægyptiorum ſa-
cerdotibus didiciſſe dixiſſet , Moſem antiquum primúmque latorem le-
gum fuiſſe,de eodem ſcripſit his ferè verbis, Nam poſt veterem in Ægy-
pto vitæ ſtatum & conſtitutionem , quam fabulæ narrant fuiſſe Deo-
rum , heroúmque ætate , Moſem virum & animo magno , & vita opti-
ma clariſsimum ac præſtantiſsimum primum ferunt perſuaſiſſe multi-
tudini , vt legibus ſcriptis vterentur. Deinde paulò infrà cùm veterum
latorum legum mentionem vellet facere, Moſis primùm meminit.Scri-
pſit enim his ferè verbis, Apud Iudæos quidem Moſem,qui Deus appel-
D latus ſit , ſiue quòd admirabilem diuinámque omnino cognitionem in-
dicarit eam quæ multitudini hominum profutura eſſet , ſiue quòd fa-
ciliùs multitudinem dicto obedientem fore exiſtimaret , ſi eorum qui
leges inueniſſe dicerentur excellentiam vímque conſyderaret : deinde ve-
rò Saüchnin Ægyptium præſtanti ſapientia virum leges ſcripſiſſe fe-
runt , tertium Seſonchôſin regem narrant rem militarem omnium qui
in Ægypto fuerint , optimè adminiſtraſſe , ſed etiam nationem ad bel-
lum natam & bellatricem legibus inſtituiſſe ac repreſsiſſe commemo-
E rant . Quartum ferunt ſcriptorem legum extitiſſe Boechorim regem,
ſapientem quendam, & prudentia magna virum. Secundum hunc ad le-
ges acceſsiſſe dicitur Amaſis rex , quem literarum monumentis ea quæ
legum latores attingunt, deſcripſiſſe ſtatuiſſéque produnt , quæque ad o-
mnem Ægypti adminiſtrationem pertinent . Sextum ferunt Xerxis pa-
trem Darîum animum ad leges Ægyptiorum applicaſſe . Hæc ij qui à

religione noſtra abhorrent, de Moſis antiquitate literarum monumentis A
prodiderunt, eáque omnia ab Ægyptiorum ſacerdotibus ſe comperiſſe profitentur, apud quos non ſolùm Moſes editus & natus eſt, ſed etiam omnibus Ægyptiorum diſciplinis eruditus, propterea quòd à regis filia filij loco educatus ſit: ob eámque cauſam quam dixi, magnæ curæ fuit, quemadmodum commemorant ſapientiſsimi hiſtoriographi, qui etiam eius vitam & res & generis dignitatem ſibi literis mandanda cenſuerunt, Philo & Ioſephus. Hi enim Iudæorum res ſcribentes, Moſem ex Chaldæis quidem genus duxiſſe dicunt: eius autem maiores cùm fame coacti à Phœnice in Ægyptum migraſſent, ibi eundem natum eſſe, quem ob virtutem quæ in eo elucebat, Deus in honore tanto habere inſti- B
tuerit, vt & ducem & principem, & legis latorem generis ipſius eſſe voluiſſet, cùm Hebræos ex Ægypto in regionem ſuam reuerti æquum cenſuiſſet. Huic primùm Deus munus illud diuinum ac propheticum quod è cœlo in ſanctos bonóſque viros delabitur, conceſsit, eundémque primum religionis noſtræ magiſtrum doctorémque eſſe inſtituit: ſecundum eum poſteà reliquos prophetas, qui & ipſi idem munus conſecuti ſunt, eadémque de iiſdem rebus nobis tradiderunt. Hos quidem nos religionis noſtræ doctores fuiſſe dicimus, eóſque nihil nobis de ſua ſententia, ſed munere eo quod ipſi è cælo à Deo accepiſſent, tradidiſſe. Vos autem quoniam ſuperiore maiorum veſtrorum errore cæci fidem haberi C
non putatis oportere, quos tandem religionis veſtræ authores & magiſtros qui quidem digni ſint quibus credatur, fuiſſe dicitis? Fieri enim non poteſt, id quod ſæpe dixi, vt ij qui res tam magnas támque diuinas anteà ab iis qui ſciant, non didicerint: vel ſciant ipſi, vel alios rectè docere poſsint. Quoniã igitur ſatis iis quæ adhuc commemorata ſunt, philoſophorum veſtrorum res ignorationis omnis & fraudis plenæ eſſe demonſtratæ ſunt: reſtat vt repudiatis relictíſque philoſophis, quemadmodum anteà poëtis, vos ad oraculorum errorem conuertatis. Sic enim quoſdam audiui qui dicerent. Quamobrem conſentaneum eſſe iudico, vt quæ apud vos anteà audiui de iis qui dicerent, ea nunc in tempore D
apud vos dicam. Cùm enim conſuleret quidam, vt ipſi fatemini, deorum quod apud vos eſt oraculum, quos tandem homines religioni deditos aliquando eſſe contigiſſet, hoc reſponſum eſſe dicitis,

Solis Chaldæis ſapientia ceſsit: Hebræi
Ingenitum regem mente Deúmque colunt.

Quoniam igitur vos ex veſtris oraculis verũ cognoſcere poſſe ſperatis lectis hiſtoriis, iiſque quæ de Moſis vita ſcripta ſunt ab iis hominibus qui à religione noſtra alieni ſunt: cùm Moſem ex Chaldæorum Hebræorúmque genere prodiiſſe cognoueritis, nihil mirum & contra opinionem E
omnium factum eſſe exiſtimate, ſi Deus virum qui ex bonorum piorúmque genere eſſet, dignéque maiorum ſuorum religione vixiſſet, magni huius muneris honore afficere, ac primum prophetarum omnium declarare

conſti-

A conſtituerit. Neceſſe autem eſſe mihi arbitror ea etiam tempora notare & conſyderare, quibus philoſophi veſtri floruerunt, vt recens admodum & breue eſſe tempus quod eos vobis tulit intelligatis. Ita enim demum poteritis Moſis etiam antiquitatem facilè cognoſcere. Sed ne ego de temporibus diſſerens, protrahere vos pluribus argumentis videar, ſatis eſſe arbitror, ſi ex his doceam. Socrates enim Platonis, Plato Ariſtotelis præceptor fuit. Hi autem Philippi & Alexandri ætate floruerunt, qua etiam oratores Athenienſium, id quod nobis etiam apertè declarant Demoſthenis in Philippum ſcriptæ orationes. Ariſtotelem porrò cum Alexandro ver-
B ſatum eſſe tum cùm regno potiretur, ij qui res Alexandri literis mandarũt, ſatis indicant & docent. Omni igitur ex parte facilè intelligi poteſt, hiſtorias omnes externas à Moſis hiſtoria antiquitate longè multúmque ſuperari: præſertim cùm ne hoc quidem ignorare debeatis, nihil certi à Græcis ante olympiadas accuratè literarum monumentis eſſe proditum, nec eſſe hiſtoriam vllam veterem, quæ Græcorum aut Barbarorum res exponat. Sola autem Moſis prophetæ hiſtoria anteceſsit, quam ipſe diuino inſtinctu & afflatu Hebræorum literis ſcripſit. Græcorum enim nondum erant inuentæ literæ, quemadmodum etiam declarant ipſi literarum profeſſores & magiſtri, qui tradunt Cadmum primum ex Phœnice allatas Græcis tradi-
C diſſe. Atque etiam Plato is qui primas in philoſophis apud vos obtinet, eas poſteriùs inuentas eſſe teſtis eſt. Scripſit enim in Timæo Solonem illum ſapientum ſapientiſsimum, cùm ex Ægypto rediiſſet, hęc dixiſſe Critiæ, ſe audiuiſſe Ægyptium quẽdam ſacerdotem non admodum ſenem cùm ſibi diceret, Græci, ô Solon, Iuuenes eſtis ſemper, ſenex autem Græcus eſt nemo. deinde rurſus, Iuuenes, inquit, eſtis animis omnes. nullam enim in eis veteri auditione veterem habetis ſententiam, nec vllam tempore canam diſciplinam: ſed vos ignoratis hæc, propterea quòd ij qui ad multa ſecula ſuperſunt ſine literis à vita migrant. Par eſt igitur intelligi, accidiſſe vt omnis hiſtoria Græcorum literis quę poſteriùs inuentæ ſint, ſcriberetur: ac ſi quis
D ſiue poëtas veteres, ſiue ſcriptores legũ, ſiue hiſtoriographos, ſiue philoſophos, ſiue oratores commemorare velit: eos monumenta ſua Gręcorum literis ſcripſiſſe inueniet. Quòd ſi quis contendat & Moſis & cæterorum prophetarum libros Græcorum literis ſcriptos eſſe: is ſic habeat, & ſciat, lectis externis hiſtoriis, Ptolemęũ Ægypti regem cùm Alexandriæ bibliothecã inſtruxiſſet, libróſque vndique collegiſſet & congeſsiſſet, eáque completa deinde accepiſſet veteres hiſtorias Hebrçorum literis conſcriptas diligenter accuratéque aſſeruari, vellétque ea quę ſcripta erant cognoſcere: ſeptuaginta viris ſapientiæ laude pręſtantibus quos Hieroſolymis Græco Hebraicóque ſermone doctos accerſiſſet, imperauiſſe, vt libros inter-
E pretarentur: & quo à turba remoti celeriùs interpretarentur, eis imperauiſſe, ne in ipſa vrbe, ſed intra ſeptẽ ſtadia in Pharo inſula habitarent, pariq; numero eorũ qui interpretabãtur, caſas celláſve ædificari voluit, vt vnuſquiſque ſolus ac per ſe interpretationem perficeret, dato negocio miniſtris qui præpoſiti erant, vt illis omnia quæ ad victum cultúmque pertine-

rent,præberent,eoſdem tamen à ſermonis inter ipſos ſocietate arcerent,vt A interpretationis certitudo ex eorum etiam conſenſione & concordia cognoſci poſſet. Poſteà verò quàm ſeptuaginta illos nō ſolùm eadem ſentētia,ſed iiſdem etiā verbis vſos eſſe comperit,nec verbo vno à conuenientia & cōſenſione mutua aberraſſe,ſed eadē & de iiſdē ſcripſiſſe:obſtupuit, vſque diuina interpretationē ſcriptā credens, omni quidē eos honore, vt Deo charos viros dignos iudicauit, eóſque cum multis donis in patriam redire iuſsit: libros autem cùm ſuſpexiſſet,vt par erat, & conſecraſſet,illic repoſuit.Hæc vobis, Gentes,nō fabulam,nec fictas cōmentitiáſque hiſtorias exponimus, ſed ipſi qui Alexandriæ fuimus, veſtigiáque caſarum in B Pharo vidimus etiam integra & incolumia, & ab incolis vt qui patriæ inſtituta & res acceperint, audiuimus, ea renunciamus, quæ etiam ex aliis vobis licet cognoſcere maximéque ex Philone, Ioſepho,aliíſque pluribus ſapientibus & probatis viris, qui de his in hiſtoriis ſcripſerunt. Quòd ſi quis eorum qui facile contradicere ſoliti ſunt,obiiciat,non nos hos libros, ſed Iudęos attingere,quòd etiam nunc in eorū concionibus & ſynagogis ſeruētur,nóſq; fruſtra ex eis religionē Dei cognouiſſe iactare dicat:is ex iis quę in libris ſcripta ſunt cognoſcat,nō ad eos,ſed ad nos eorū doctrinā & diſciplinam pertinere.Apud Iudęos autē nunc quoq; libros qui religionis C noſtrę ſunt proprij cuſtodiri,diuinæ prouidētiæ opus pro nobis extitit.Nā ne ex Eccleſia proferētes,occaſionem maleficij iis quibus ſtudio eſt in nos maledicta iacere,prębeamus,eos ex ſynagoga Iudæorum proferri æquum cenſemus,vt ex iis libris, qui etiā nūc apud eos aſſeruantur, appareat,nos apertè & perſpicuè ea iura attingere, quæ ad diſciplinā ſancti viri ſcripſerunt.Quamobrē debetis Gētes rerum futurarū prænotione,iudiciíq; quod non ſolū ab omnibus qui Deū colūt, ſed ab iis etiam qui à religione Dei abhorrēt,prędicatur,ratione,nō maiorum veſtrorū improbatum errorē ſequi,nec ſiquid errore impulſi ipſi vobis tradiderūt,id verū eſſe exiſtimare: ſed poſito vobis ob oculos tam acerbę calamitatis miſeriæque diſcrimine, D ea etiam quæ à doctoribus veſtris,vt dicitis,aſſerta ſunt,inueſtigare & quærere. Multa enim etiā ipſi Dei qui hominibus conſuluit prouidētia inuiti pro nobis coacti ſunt dicere,maximéq; ij qui in Ægyptū profecti ſunt,iiſque & Moſis, & eius maiorū religio magnū attulit adiumentum. Neque enim hoc quenquā veſtrū ignorare arbitror, qui quidē omnino Diodori hiſtoriam legerit,ac cæterorū qui de his aliquid literis mandarunt,& Orpheum,& Homerum,& Solonem eum qui Athenienſibus leges ſcripſit, & Pythagoram, & Platonem,nónullóſque alios cùm in Ægypto fuiſſent, & Moſis hiſtoria adiuti eſſent, poſteà contrà quàm priùs minùs præclarè de diis ſenſiſſent,pronunciaſſe atque ſtatuiſſe. Orpheus quidē qui primus multitudinem deorum vobis tradidit,quæ Muſæo filio ſuo cæteríſque au- E ditoribus de vno ſolóque Deo poſteà prædicet,vobis commemoranda neceſſariò cenſui. Scripſit autem hoc modo,

Nunc loquar ipſe quibus licet,at procul eſte prophani,
Tu quem luna ſuis tenerum ſinibus tulit audi

Muſæe,

A *Muſæ, effabor nam vera tibi, caue, ne te*
Decipiant mentémque tuam mala quæ antè probaſti:
Verbum cerne Dei, verſáque in pectore ſemper.
Flecte ratem mentis, ſtabilique hanc dirige curſu.
Qui regit imperio terras, hunc reſpice ſolum.
Vnus is eſt, per ſe extitit, omnia condidit vnus.
Eſt in eis ipſe, aſt hominum nec cernitur vlli,
Cùm tamen aſſiduè cuncti videantur ab ipſo.
Exque bono ipſe malum miſeris mortalibus affert,
Atque horrentia bella ferit, miſeróſque dolores.
B *Nec quiſquam eſt alius regalis numinis expers,*
Nec tamen hunc video, denſa in caligine fixum.
Mortales nam oculi cunctis mortalibus inſunt,
Cunctorúmque Iouem non poſſunt cernere regem.
Hic etenim ſummum ſemper tenet æthera fixus.
Aurato in ſolio, pedibus ſubiectáque tellus.
Oceanum dextra vaſtum complectitur ipſe,
Hunc montéſque timent celſi, fluuiique perennes.
Necnon & pelagi latè ima altiſſima vaſti.
C Et rurſus quodam loco ſcribit his verbis,
Iuppiter eſt vnus, Pluto, Sol, Bacchus & vnus,
Eſt Deus vnus in omnibus: hæc bis cur tibi dico?
In iurib. iurandis etiam hoc modo:
Te teſtor cælum, magni ſapientis origo.
Téque Patris Verbum, primum quod protulit ore,
Cùm propria mundi machinam ratione creauit.

Quid ſibi vult, cùm ait, Pérque Patris Verbum, primum quod protulit ore. αὐδὴν hoc loco Dei verbum nominat, à quo cælum, terra, omniáque effecta ſunt, quemadmodum nos docent diuinæ ſanctorum virorum vaticinationes, ex quibus cùm is etiã aliqua ex parte in Ægypto verſatus eſſet, o-
D mnia à Dei Verbo effecta eſſe cognouit. Itaque poſteà quàm dixit, Téque Patris Verbum quod primum protulit ore, præterea adiungit, Omnem cùm mundum propria ratione creauit. Quo in loco verbum αὐδὴν cauſa carminis nominat. Idque ex eo intelligi licet, quòd paulò antè cùm verſus pateretur, eum Verbum nominat. Ait enim, Verbum cerne Dei, verſáque in pectore ſemper. Quæ etiam Sibylla admodum vetus de vno eóque ſolo Deo vos oraculo doceat, cuius & Plato & Ariſtophanes & plerique alij vt fundentis & edentis oracula mentionem fecerunt, neceſſariò proferenda
E ſunt. Scribit autem his ferè verbis,
Aſt vnus Deus eſt ſolus, non ortus, & ingens,
Omnipotens, inuiſibilis, quique omnia cernit,
Ipſe tamen cunctorum hominum non cernitur vlli. Deinde alio in loco ſic,
Aſt immortalique via deflexìmus ipſi,
Quæquè manus fecit, ſtulto veneramur honore

Idola & ſtatuas hominum, mors quos manet atra. A

Rurſus aliquo alio loco ita,

Semper homo in terris numerabitur ille beatus,
Qui cum laude Deum ſummo amplectetur amore
Ante cibum, ac potum, pietatis amore citatus:
Quíque oculis aráſque Deûm auerſabitur omnes
Fanáque (vana petræ verè conſtructio mutá eſt)
Sanguine commaculata hominúmque & cæde ferarum:
Vnius atque Dei quem maxima gloria tanget.

Atque hæc quidem Sibylla. Homerus autem licentia abutens poëtica, ac B principio Orphei ſententiam de multitudine deorum ſecutus, ad fabularũ ſimilitudinem multorum deorum mentionem facit, ne ab Orphei poëſi diſcrepare videatur, quam ita ſibi ad imitandum propoſuerat, vt etiam primo poëſis verſu, quemadmodum in eum animatus eſſet, ſignificauerit. Cùm enim Orpheus initio libri ſui hunc verſum fudiſſet,

Muſa mihi memora, Cereri quid mouerit iram, Ipſe ita ſcripſit,

Iram muſa mihi memora, qua agitatus Vlyſſes:

quòd vt mihi quidem videtur, principio libri ſui excidere & aberrare à poëtici verſus lege conſtituiſſet, ne primus verbi deorum mentionem feciſſe videretur. Paulò autẽ infrà ſuã etiã de vno ſolóque Deo apertè ac planè C exponit ſententiam, quodam loco per Phœnicem cum Achille ſic loquẽs,

Nec mihi ſi Deus ipſe
Deleto ſenio iuuenis promiſerit annos.

Hoc pronomine ipſe Deum qui verè eſt, ſignificans: alio autem per Vlyſſem Græcorum multitudinem ita conuenit,

Non multi præſunt domini bene, ſit caput vnum.

Non eſſe autem multorum principatum ſalutarem, ſed contrà noxium, re declarandum docendúmque ſuſcepit, dum eorum & bella propter multitudinẽ, & pugnas, & diſsidia, & inſidias inter ſe exponit. Vnius enim principatus à bellis diſsidiiſque ſolutus & liber eſſe ſolet. Atque hæc quidem D Homerus. Quòd ſi nobis etiam poëtarum ſcenicorum de vno Deo teſtimonia adhibenda ſunt, Sophoclem etiam audite, qui hæc loquitur,

Eſt vnus, eſt verè profectò vnus Deus,
Polúmque fabricauit, & longum ſolum,
Pulchrum tumorémque maris, vímque flatuum.
Mortalium aſt errantes corde plurimi
Extruximus nós ſolatia cladium
Deorum imagines ſaxeas, æneas
Aut fabrefactas auro vel eburneas:
Eiſque ſacra præclara, atque feſtos dies E
Dum actitamus, ſic nos putamus pios.

Atque hæc quidẽ Sophocles. Pythagoras autẽ Mneſarchi filius, is qui philoſophię ſuæ decreta ſymbolis myſticè expoſuit, quẽadmodũ ij qui eius vitã ſcripſerunt, declarant, digna etiam profectione Ægyptiaca de vno Deo

ſenſiſſe

A ſenſiſſe videtur. Cùm enim vnionem omniũ principiũ eſſe dicit,eámque cauſam bonorũ omnium:per allegoriam & vnũ & ſolum Deum eſſe profitetur. Quod verum eſſe perſpici licet ex iis,quibus vnionẽ & vnum inter ſe differre dixit. Vnionem enim in iis quę ratione & animo intellliguntur dicit eſſe,vnum autẽ in numeris. Quòd ſi apertiorem etiam Pythagorę de vno Deo ſententiæ demonſtrationem cognoſcere cupitis,audite eius opinionem. Sic enim dixit,Deus quidẽ vnus eſt,idem autem non,vt quidam ſuſpicantur,extra mũdi ornatum, ſed in ipſo totus in toto circulo omnes ortus & rerum origines inruetur,moderatórq; eſt ſeculorum omnium, &
B facultatum ſuarum operúmque effector,omniũ principium,vnum,in cœlo lumen,patérq; omnium, omniũ mens & refrigeratio, motúſque ortuum omnium. Ac Pythagoras quidẽ hoc modo. Plato autem qui Moſis,vt videretur,de vno ſolóque Deo doctrinam ac diſciplinam,quam in Ægypto cognouerat,approbaſſet,ſed ob ea quę Socrati acciderũt,vereretur,ne Anytũ aliquem aut Melitũ in ſe pararer, qui ſe apud Athenienſes accuſaret his verbis, Plato nefariũ facinus cõmittit,nouáſque res molitur,qui Deos quos ciuitas eſſe ducit,non habet in Deorum numero,cicutam reformidãs: variam quandã & compoſitam de diis orationẽ ſermonémque tractat,cõfirmans oratione & Deos eſſe iis qui velint,& nõ eſſe iis quibus cõtrà videa
C rur:id quod facile erit ex iis quæ ab eo dicta ſunt cognoſcere. Nam cùm antè omne quod natum eſſet,mortale eſſe ſtatuiſſet,deos poſteà ortos eſſe dicit. Quòd ſi Deũ & materiam principiũ rerum omnium eſſe vult,nõ eſt dubiũ,quin ei neceſſe ſit deos ex materia ortos eſſe dicere. Si ex materia,ex eis etiã malum prodiiſſe dixit:quos & quales deos eſſe qui ex materia orti ſunt,par ſit exiſtimare,ſapiẽtibus conſyderandũ reliquit. Nã materiã quoque originis expertem propterea eſſe dixit,ne Deũ mali authorẽ dicere videretur. Ac de diis quidẽ qui à Deo effecti ſunt,hęc dixiſſe videtur, Dij deorum,quorũ ego parẽs effectórq; ſum. De eo autem qui verè Deus eſt,verã
D videtur habuiſſe opinionẽ. Cùm enim in Ægypto Deũ Moſi dixiſſe intellexiſſet, Ego ſum qui eſt,tum cùm eũ ad Hebręos miſſurus eſſet: Deum nõ propriũ nomẽ ſuum ei dixiſſe ac pateſeciſſe cognouit. Nomen enim nullũ in Deo propriè dici poteſt,præſertim cùm ad ſubiectas res quæ multæ diuerſæque ſunt,explanandas & cognoſcendas impoſita ſint nomina:& Deo nec quiſquã antea nomẽ impoſuerit,nec ſe ipſe nomine vllo appellari putarit oportere,cùm vnus ſolúſq; ſit, quemadmodũ idẽ per prophetas ſuos reſtatur his verbis, Ego ſum primus Deus,& ego poſtea,& pręter me Deus alter nõ eſt. Hac igitur de cauſa,id quod etiã ſuprà dixi, Deus Moſem ad Hebręos mittẽs,nullius nominis mentionẽ facit,ſed per participiũ quoddã, *Exod.3.*
E ſe vnum ſolúmq; Deum eſſe myſticè docet, Ego enim,inquit,ſum qui eſt: ſe ipſum diſtinguens & ſecernẽs ab iis qui non ſunt,vt ij qui antè in errore verſati erant,ſe non iis qui ſunt,ſed iis qui nõ ſunt paruiſſe ac deditos eſſe intelligerẽt. Quoniã igitur Deus primos homines maiorum ſuorũ erroris memores eſſe intelligebat,quo eos implicari voluit Dæmõ qui hominũ genus oderat,cũ eis dixiſſet, Si mihi in eo pareatis, vt Dei pręceptũ violetis,

eritis tanquã Dij,deos nominãs qui nõ ſunt,vt homines cũ alios eſſe deos A putaſſent, ſe etiam Deos poſſe eſſe crederẽt:idcirco Moſi dixit, Ego ſum ὁ ὤν,id eſt,qui eſt,vt per hoc participium ὤν,Dei qui eſt,& eorum qui non ſunt, differentiam doceret. Quamobrẽ homines qui dęmoni fallẽti & captanti fidẽ habuiſſent,Deóque nõ dicto audiẽtes eſſe minimè dubitaſſent, ex paradiſo exierunt,ita tamen,vt deorum nomen memoria tenerent, nec iam à Deo non eſſe alios deos docti ſint. Neque enim æquum fuit eos qui præceptum primum cui parẽre facile erat, non ſeruaſſent, iam doceri,ſed pœnas dignas luere. Eiecti ergo atque expulſi ex paradiſo cùm ob inobedientiam ſolam expulſos ſe eſſe exiſtimarent,nec intelligerent ob eam etiã B cauſam,quòd deos eos qui non erant, eſſe credidiſſent,ipſi deorum nomẽ iis etiam hominibus qui poſtea ex ſe orti ſunt,impoſuerunt. Hæc eſt igitur prima de diis falſa ſententia, quæ principium à mendace parente habuit. Quamobrem Deus qui de multitudine deorũ non veram ſententiã quaſi morbum quendam hominum animos perturbare & offendere ſciret,cùm eam tollere atque ex animis hominum euellere vellet, primùm quidem Moſi ſe patefaciens & oſtendens,dixit,Ego ſum qui eſt.Debuit enim, mea quidem ſententia,is qui princeps atque dux Hebræorum futurus erat, in primis Deum qui eſt,cognoſcere. Itaque cùm ei primò apparuiſſet,vt Deus C ſe oſtendere homini poterat, ei hęc dixit,Ego ſum qui eſt. Deinde eundẽ ad Hebręos miſſurus,ei imperauit,vt eadem illis etiam diceret,Qui eſt mę ad vos miſit. Hęc igitur in Ægypto cùm Plato cognouiſſet,eáque quæ de vno Deo dicta ſunt,valde probaret,Moſis quidem nomen quòd vnum ſolùmque Deum doceret,apud Athenienſes exprimere,metuẽs Ariopagum, tutum non exiſtimabat: quod autem pręclarè ab eo dictum eſt,non quaſi ab eo didiciſſet,ſed tanquam ſuam ſententiam exponeret,in Timæo,quem librum magno cum labore ſtudióq; ſcripſit,in quo etiam de Deo diuiníſque rebus diſſerere inſtituit, idem quod etiam de Deo Moſes, ſcripſit his ferè verbis, Eſt igitur mea ſententia,primùm conſtituendum,quid ſit,quod D ſemper eſt,neque vllum habet ortum,& quod gignitur, nec vnquam eſt. Hoc,Gentes,an non iis qui intelligere poſſunt,videtur vnum & idem eſſe, cùm ſolo articulo differat? Moſes enim ὁ ὤν, id eſt,qui eſt,dixit:Plato autem τὸ ὄν, id eſt,quod eſt:quorum vtrumque Deo qui ſemper eſt conuenire conſtat.Is enim eſt ſolus,qui ſemper eſt,nec vllũ ortũ habet.Quid igitur ſit alterũ quod ab eo quod ſemper eſt diſtinguitur,de quo ipſe dixit, Et quod gignitur,nec vnquã eſt,diligẽter accuratéq; videndũ eſt.Inueniemus enim eum apertè & perſpicuè illum quidẽ qui generatus non eſt,æternũ eſſe dicere:eos autẽ qui generati effectíq; ſunt, (quemadmodũ ipſe de iiſdem vt dictum eſt,dixit,Dij deorum,quorũ ego effector ſum & procreator)oriri & interire.Hoc enim ipſe dixit his verbis,Eſt igitur mea ſentẽtia primùm cõ- E ſtituendum quid ſit quod ſemper eſt,neque vllũ ortũ habet: & quod gignitur,nec vnquã eſt:quorum id quod intelligentia & ratione cõprehenditur,ſemper vnius modi eſt:quod autem affert opinionem ſenſus ſine ratione,& opinabile eſt,id gignitur & interit,nec vnquam eſt. Hęc quidem iis qui

A qui tectè intelligere poſſunt,interitum deorum qui generati ſunt, ſignificant. Hoc autem neceſſariò animaduertendum arbitror, Platonem eum nó ποιητὴν,id eſt,effectorem, ſed δημιουργὸν,id eſt,artificem ſiue opificem deorum nominare,cùm inter hęc magna ſit diſtinctio,ipſius Platonis ſententia. Nam ποιητὴς,id eſt,effector cùm rem aliã nullã requirat,vi arbitratúque ſuo id quod fit,facit:δημιουργὸς autem,id eſt,opifex artificij,vi à materie ſumpta,id quod fit, id eſt,opus conſtruit. Sed fortaſſe nonnulli eorum , qui à ſententia de multitudine deorum abduci nolunt, ipſum opificem diis qui generati ſunt , hæc dixiſſe iactabunt , Sed quoniam orti eſtis , immortales
B les quidem non eſtis,neque indiſſolubiles,neutiquam tamen diſſoluemini, nec vos vlla mortis fata periment,quòd voluntatis conſiliíque mei valentius vinculum ſitis conſecuti. Hoc quidem lóco Plato eorum qui ſententiam de multitudine deorum ſequuntur , metu deterritus,artificem ſuum pugnantia dicentem inducit. Omne enim quod ortum eſt, interit , cùm antè dixiſſe eum ſcripſiſſet: nunc pugnantia eum inducit dicentem, quòd ignotaret,nequaquam ita fieri poſſe, vt mendacij crimen effugeret atque vitaret. Nam aut cùm ſuprà dixit , Omne quod ortum eſt, interit,falſum dixit,aut certè nunc cùm repugnantia iis quę antè de iis dicta ſunt, pollicetur.Si enim neceſſe eſt, omne quod ortum ſit,intetire, quemadmodum
C antè conſtituerat,quónã pacto fieri poteſt, vt quod neceſſariò fieri nó poteſt,fieri poſſit?Fruſtra igitur videtur Plato ea quę fieri non poſſunt,opifici ſuo concedere , dum eos qui ſemel , quòd ex materia effecti ſint, mortales etiam ipſi orti ſunt , rurſus per eum immortales indiſſolubiléſque futuros pollicetur. Veriſimile eſt enim materię vim,quę non ſit generata, ſitque eius ſententia ęquè diuturna & æqualis opifici,eius volunrati & conſilio obſiſtete. Ei enim quod non fecit, ius nullum eſt & poteſtas in id quod ortũ non habuit . Quamobrem nec ei vis vlla afferri poteſt,cùm ab omni vi externa ſoluta ſit & libera. Itaque Plato ipſe qui hęc videbat, ſcripſit his verbis , Neceſſariò autem concedendum eſt, vim nullã afferri Deo poſſe.Quo
D igitur ore Plato Homerũ ex ſua republica exterminat?pręſertim cùm in legatione ad Achillem miſſa Phœnicẽ Achilli hęc dicentem fecerit,Dij verò mutantur & ipſi.Atqui Homerus non de rege,nec de opifice deorum Platonico hoc dixit , ſed de quibuſdam diis qui mulri apud Athenienſes habentur, quemadmodum etiam nos ex Platone cognoſcete poſſumus, qui deos deorum dicit. Vni enim primóque Deo omnium poteſtatem & potentiã propter aureum illum funem & catenã tribuit. Cæteros autem deos tanto ab illius diuinitate abeſſe dixit,vt eos in hominũ numero habendos cenſuerit. Vlyſſem quidem in Hectorem Achilli hęc dicentem inducit,

Quique Ioui fidat,magna hunc dementia cepit,
E *Afficit & nullo ipſus honore hominéſque deóſque.*

Hîc mihi Homerus quoque videtur planè,quemadmodũ Plaro,cũ in Ægypto didiciſſet,de Deo vno apertè & planè hoc explicare,eũ qui eo qui Deus eſt,fretus ſit, eos qui non ſunt,negligere. Sic enim poëta alio etiam quodam loco alio verbo,id eſt,pronomine, quod idem valet quod participiũ

quod Plato adhibuit, vſus eſt, quódque pronomen eum qui Deus eſt de- A
clarat, de quo Plato dixit, Quid ſit quod ſemper eſt, nec ortum habet. Ne-
que enim mihi planè & omnino dictum eſſe à Phœnice illud videtur,

Nec mihi ſi Deus ipſe,
Detracto ſenio iuuenis promiſerit annos.

Hoc enim pronomen, ipſe, eum qui verè Deus eſt, declarat. Sic enim etiam
oraculum ſignificat quod de Chaldęis Hebræíſque vobis editum eſt. Cùm
enim rogaret quiſpiam, quos tandem homines religionum deorum cul-
tores eſſe contigiſſet, ſic reſponſum eſſe dicitis,

Chaldæis ſolis ſapientia ceſsit, Hebræi
Ingenitum regem mente Deúmque colunt. B

Quo ergo ore Plato Homerũ deos flexibiles dicentem accuſat, cùm hoc
Homerus vtilitatis cauſa dixerit, ſicuti ex iis quę dicta ſunt, intelligi po-
teſt? proprium eſt enim eorum qui votis & hoſtiis vt humanitatem cõſe-
quantur, petunt, finẽ facere, pœniterẽque eorum ſcelerum quæ admiſerũt.
Qui enim Deum inflexibilem eſſe putant, ij à ſceleribus abhorrere atque
abduci nolunt, quòd nullũ fructum ſe ex pœnitentia percepturos eſſe ar-
bitrentur. Cur igitur Homerum poëtã accuſat Plato quòd dixerit, Dij verò
mutantur & ipſi, cùm ipſe & deorum opificem indicet ita facilè mutabi-
lem, vt interdum deos mortales, interdum immortales eſſe dicat? & mate- C
riem ex qua deos qui opere Dei effecti ſunt, vt ipſe ait, factos eſſe neceſſe
eſt, aliàs originis expertem, aliàs ortam eſſe profiteatur, quòd ignoraret ſe
conuinci in eadem incurrere, quæ in Homero reprehẽderet, cùm deorum
opificem ita facilè flecti mutaríque diceret? tametſi Homerus contrà de-
codem ſenſerit. Eum enim ait hæc de ſe dicere,

Non etenim vertique poteſt & fallere quenquam,
Quicquid ego capite annuero, nec ſine carere.

Sed hæc quidem inuitus, vt videtur, Plato, quòd eos qui multitudinẽ deorũ
probarẽt, pertimeſceret, aliena & abſurda de diis videtur exponere. Quę au
tem à Moſe & prophetis de vno Deo accepta hauſtáque dici putat opor- D
tere, ea obſcurè ſuã explicans ſententiã, iis qui Deum colere velint, dicẽda
ſuſcepit. Cùm illud quod Moſi à Deo dictum eſt, Ego ſum qui eſt, proba-
uiſſet, breuéque verbũ quod participio prolatum eſt, cum magna contem-
platione conſyderationéque accepiſſet: Deum qui ęternitatem ſuam Moſi
indicare vellet, dixiſſe, Ego ſum qui eſt, intellexit, quòd hęc ſyllaba ὢν non
vnum tantùm declararet, ſed tria tẽpora, præteritũ, inſtans & futurum. Sic
enim etiam Plato illud ὢν in vario dicit tẽpore, cùm ait, οὐδὲ οὐδέποτε, id eſt,
nec vnquam eſt. Neque enim οὐδέποτε in pręterito, vt quidã exiſtimant, ſed
in futuro tẽpore dictum eſt. Hoc enim etiam ab iis qui à noſtra religione E
abhorrent, diligenter accuratéque tractatum eſt. His ergo cauſis impulſus
Plato, cùm quaſi interpretari id quod obſcurè de Dei æternitate per parti-
cipium dictũ erat, vellet, ſcripſit iiſdẽ verbis hoc modo, Deus igitur, qui vt
vetus etiam eſt verbũ, principium, finẽ, mediáque omniũ habet. Hic Plato
veterem ſermonẽ apertè & perſpicuè Moſis legem nominat, quòd Moſis
legem

A legem nonunat,quòd Moſis nomē propter venenū exprimere nō auderet. Sciebat enim viri doctrinā & diſciplinā inuiſam eſſe Græcis:ſed tamē apertè verbo veteri, Moſem ſignificat.Moſis autē & veterem eſſe & primam legē & ex Diodori hiſtoria,& ex cæteris ſatis multis ſuprà vobis demōſtratum eſt.Eum enim primū legum ſcriptorē fuiſſe Diodorus ſcribit,cùm nōdum Græci literas quas diuerſas ac diſsimiles habent , inueniſſent , quibus adhibitis ſuas hiſtorias ſcripſerunt.Nemo autē miretur,ſi Moſi de æternitate Dei aſſenſus Plato,ita ſcripſerit.Eum enim inuenies ſecundū eum qui verè Deus eſt,etiā prophetis verā de iis quæ ſunt,concedere ſcientiā.In Timęo B enim de principiis quibuſdam diſſerens, ſcribit his ferè verbis,Hoc autem ignis principiū aliorúmq; corporum,eam rationē quæ neceſſariò veriſimilis eſt,ſecuti,ponamus. Eorum autē præterea principia Deus in cælis habet cognita,& quiſquis illi charus eſt. Viros autē Deo charos eſſe nō alios exiſtimat,niſi Moſem & alios prophetas,quorū cùm vaticinationes legiſſet, acceptā hauſtámq; ab eis iudicij rationē in primo de Rep.lib.prædicit his verbis,Quādo aliquis haud procul abeſſe mortē opinatur,ei metus & cura inceſsit eorum quorum nunquā antea eum ſubierat.Quæ enim ferūtur de iis quæ ſunt in inferis fabulæ, tanquā eum qui hìc ſceleratè iniuſtéq; vixerit, illic pœnas luere oporteat,eæ cū & irriſæ ſint & riſu exceptæ ab illo antea, C tum in eius animo verſantur,ne veræ ſint:iſque aut ſenectutis imbecillitate, aut etiā quaſi tum ſit iis quæ ibi ſunt,propior,ea magis cōſyderat.Suſpicionum enim formidinúmq; plenus fit , túmque denique reputat & perpēdit, nū cui iniuriā fecerit. Atque is quidem,qui multa ſe in vita ſcelera admiſiſſe inuenit , & ex ſomno ſæpe, more puerorū,excitatus,metuit,& cū ſpe mala viuit. Qui autē nihil ſe mali geſsiſſe recordatur,ei ſemper comes eſt ſpes dulcis,bonáque altrix ſenectutis,quemadmodum etiam ait Pindarus. Illud enim præclarè dixit,qui piè iuſtéq; vixerit,eius animum dulcē ſpem ſenectutis altricem,alēdo comitari,quæ maximè mortalium mentē multis modis flexibilem & cōmutabilem gubernet.Atque hæc quidem in primo D de Rep.libro ſcripſit. In decimo autē planè & apertè quæ à prophetis de iudicio didiciſſet,ea non quemadmodū acceperat,Græcorū inuidia deterritus,ſed vt à quodam,ſicuti ei fingere viſum eſt , qui in prælio interfectus fuiſſet,duodecimóque à morte die ſepulturæ mandatus eſſet,& in rogum coniectus reuixiſſet , quæque illic audiuiſſet,narrauiſſet,ſcripſit his verbis, Dixit enim ſe adfuiſſe,cùm vnus alter ūrogaret,vbi Aridæus magnus eſſet. Aridæus autem hic in quodam Pamphyliæ oppido tyrannus fuerat,qui & patrem ſenem interfeciſſe,& maiorē natu fratrem,aliáque multa,& nefaria facinora feciſſe ferebatur. Interrogatum ergo illū narrat reſpondiſſe, Non venit, neque huc veniet. Spectauimus enim etiam hoc indignū miſerabiléque ſpectaculum. Cùm enim ad hiatū propiùs acceſsiſſemus,futurúmq; E eſſet vt aliis permultis malis toleratis reuerteremur , tum denique & illum repētè aſpeximus & alios vnà cum eo ferè omnes tyrānos plurimos. Erāt autem etiam priuati quidā eorum qui grauiter peccauerāt, qui cùm iam ſe inde euaſuros emerſuróſque ſperarent,eos hiatus nō ſinebat,ſed mugiebat,

cùm quiſpiam eorum qui ea improbitate erāt,vt ſanari nō poſſent,niſi digno ſupplicio affecti eſſent, ſurſum niti & euadere conabatur. Hîc homines feri ignea ſpecie præſtò erant, qui cū mugitum vocémq; exaudiſſent, aliis ſeparatim ad ſuppliciū raptis, Aridæū autē & alios vinctis manibus, pedibus & ceruice,abiectos in terram cute detracta per viam foris,in terram diſtrahētes,trahebāt,ſignificabántq; iis qui aderant,cur hęc tolerarēt, & quamobrem in Tartarū demergēdi raperētur. Ibi narrabat cùm multis variiſque terroribus affligerentur,tamē hunc ſuperare,ſi hiatus mugiret cū aſcenderent,vt etiā libentiſsimè vnuſquiſque eo tacente conſcenderet. Et pœnas quidem ac ſupplicia eiuſmodi eſſe, rurſus autem præmia quæ illis reſpōderent. Hoc mihi loco videtur Plato non ſolū iudicij rationē à prophetis didiciſſe,ſed etiā quæ apud Gentes nō creditur,reſurrectionis.Nam cùm animū cum corpore iudicari dicit,nihil aliud declarat,niſi ſe ſermoni qui eſt de iudicio aſſentiri. Alióqui quomodo Aridęus ac cæteri qui corpus quod caput, manus, pedes,& cutē habebat,in terra reliquerāt,tale in inferis ſuppliciū pertuliſſent? Nō enim quidē certè animum caput,manus, pedes & cutem habere fatebūtur. Sed Plato cùm prophetarū teſtimonia in Ægypto legiſſet,probaſſétque de corporum reſurrectione doctrinam & diſciplinam,animū cum corpore iudicari docuit.Nec verò Plato ſolū,ſed etiam Homerus ipſe cùm in Ægypto eruditus eſſet,Tityum eodem modo puniri memoriæ prodidit. In ea enim diuinatione, quæ à mortuis procuratur, Vlyſſem Alcinoo hæc narrare dixit,

Necnon & Tityum terræ omniparentis alumnum
Cernere erat,per tota nouē cui iugera corpus
Porrigitur,roſtróque immanu vultur adunco Immortale iecur tundens.

Iecur enim nō in animo ineſſe,ſed in corpore declarat. Eodémq; modo & Siſyphū,& Tātalum corpore ſuppliciū ferre,ſcripſit.Homerū autē in Ægypto fuiſſe,multáq; eorū quę ibi didiciſſet,in ſuā poëſim trāſtuliſſe,ſatis nobis Diodorus hiſtoriographorū clariſsimus indicat.Scribit enim eū cùm in Ægypto eſſet,cōperiſſe Helenam venenum, Nepenthes irámque valens, & tergere luctus, à Polydamna Theonis vxore acceptū Spartā aſportaſſe, eóque veneno ſiue remedio Helenā vſam ait Homerus luctum in Telemachi præſentia à Menelao ſuſceptū ſedaſſe.Aureámque Venerem ex eo quod in Ægypto viderat,nominauit.Vidit enim in Ægypto tēplum quod aureæ Veneris nomine diceretur,& agrū qui aureæ Veneris nominaretur. Atque huius modò mētionē fecimus, vt poëtā multa etiā ex diuina prophetarū hiſtoria in ſuos verſus trāſtuliſſe doceamus,ac primùm molitionis mūdi à Moſe inductę principiū.Moſes enim ſcripſit hoc modo,In principio fecit Deus cælū & terrā,deinde ſolē,lunā & ſtellas.Hęc enim cùm in Ægypto didiciſſet,eáq; quę ab illo de mūdi ortu & origine ſcripta erant, cōprobaſſet,in Achillis clypeo per Vulcanum quaſi ſimulachrū quoddam mūdi originis extruendū inſculpendúmq; curauit.Scripſit enim his verbis,

Hic terram,hic cælum ſculpſit, mare veliuolúmque,
Parte alia ſolem,plenæ quoque lumina lunæ.

Aſtráque

A *Aſtráque cuncta, quibus fulgens diſtinguitur æther.*

Atque etiam paradiſi ſimulachrum vt Alcinoi ortus retineret, perfecit, cùm eum ſemper floribus nitere, frugúmque & fructuum copia præſtare demonſtrat. Sic enim ſcripſit,

Hic omnis procera venit cum floribus arbos:
Gratos quæ pariunt fructus, malique pyríque,
Et ficus dulces, pini, ſuaues & oliuæ.
Harum nec perit fructus, nec deficit vnquam,
Non hieme aut æſtate manens: aſt aura fauoni
B *Perpetuò ſpirans hos edit, concoquit illos.*
Vſque pyrum in veteri, ſic pomis poma ſeneſcunt:
Ficubus hinc ficus, vuæ ſuperaduenit vua,
Fertilis hic firmis vitis radicibus hæret.
Hæc ſoli radiis latè qua parte pateſcit
Siccatur, manibus rurſus decerpitur illic,
Parte alia hanc calcant: amiſſis floribus vuæ
Illic aceſcere, verùm hic matureſcere cœptant.

Hæc verba an non apertam clarámque eorũ quæ à Moſe primo propheta de paradiſo dicta ſunt, imitationem declarant? Si quis verò turris extructio-
C nem intueri velit, qua homines qui tum erant ſibi aſcenſum in cælum procurari poſſe putabant, hanc quoque imitationem à poëta obſcurè per Otum & Ephialtem inductam inueniet. Hæc enim poëta de illis dixit,

Hi quoque cælicolis ſummo minitantur olympo
Certamen belli tandem committere ſæui
Oſſan Olympo addunt, addunt & pelion Oſſe,
Vt facili poſſent greſſu conſcendere cælum.

Itémque de generis hominum hoſtis è cælo præcipitatione quem diabolũ diuina ſcripta à prima ipſius in hominem διαβολῆ, id eſt, calumnia vel accuſatione eius vocant: ac ſi quis accuratè conſyderare velit, inueniet poëtã
D nominis quidem diaboli nuſquam facere mentionem, ſed ex deterrima eius actione appellationem ac nomen fingere. Nam ἄτην eum poëta nuncupans, illum è cælo pręcipitem ab eo Deo quem colerent, datum eſſe dicit, eorum quæ ab Eſaia propheta de eo dicta ſunt recordatione. Sic in ſua poëſi ſcripſit,

Continuò iratus comptis tum crinibus Aten
Cepit & inſigni ſe obſtrinxit relligione:
In cælum nunquam reditus, ad ſydera nunquam
Oſtendi, aſſiduè cunctos quæ affligeret, Ate.
Dixerat hæc, manibus cùm cælo truſit ab alto
E *Contorquens, ea mox ſic ad mortalia vênit.*

Plato etiam cùm ſecundum Deum & materiem, ſpeciem principium tertium eſſe dicit, non aliunde, ſed à Moſe cauſam ſumpſiſſe videtur, cùm ſpeciei quidem verbum ab iis quæ Moſes ſcripſerat, accepiſſet, non tamen à doctis tum didiciſſet, ſine myſtica occultáque cognitione & contem-

platione nihil eorũ quæ à Moſe literis mãdata ſint, planè poſſe intelligi. A
Moſes enim cùm de tabernaculo conſtruendo præceptum à Deo accepiſſet,ſcripſit his verbis, Faciéſque mihi ad omnia quæ tibi in monte commonſtro,exemplar tabernaculi. Et rurſus,Eriges tabernaculum ad exemplar vaſorum eius omnium,atque ita facies. Et rurſus paulò infrà,Sic ergo facies ad exemplar quod tibi in monte oſtenſum eſt. Hæc quidem cùm legiſſet Plato,nec quæ ſcripta erant verba cum ea qua decebat cognitione accepiſſet, ſpeciem aliquid ſeparatum,quod etiam exemplar eorum quæ orta ſunt plerumque nominat,ei quod ſub ſenſum cadit,antecedere putauit,quòd Moſis ſcripta ſic de tabernaculo declarent, Ad ſpeciem quæ tibi B
in monte oſtenſa eſt,ita illud facies. Eodémque modo eum erraſſe in terra, in cælo, & in homine conſtat. Horum enim etiam ſpecies eſſe cenſet. Quoniam enim Moſes ita ſcripſit,In principio fecit Deus cælum & terrã: deinde his annectit quæ ſequuntur,Terra autem non cernebatur & incõpoſita erat:exiſtimauit hanc quidem de qua dixit, Terra autem erat, dictam eſſe terram quæ antecederet,quòd Moſes dixiſſet,Terra autem non erat aſpectabilis,nec cõpoſita·eam autem de qua ait,Fecit Deus cælum & terram, eam ab eo dici putauit,quæ ad ſpeciem antecedentem ita facta eſſet à Deo,vt ſenſus moueat.Eodémque modo de cælo quod ortũ eſt,illud C
quidem cælum quod effectum eſt exiſtimauit eſſe id quod factum ſub ſenſum cadit:alterum autem eſſe quod intelligentia & ratione comprehenditur,de quo propheta ait,Cælum cæli Domino,terram autem filiis hominũ dedit.De homine etiam eodem modo quia primũ quidem verbi hominis mentionẽ facit Moſes, deinde multis quæ cõdita ſunt expoſitis,de hominis effictione diſſerit his verbis,Fecítque Deus hominem, ſumpto à terra limo: eum quidem hominẽ qui priore loco nominatus eſt,ei qui ortus eſt antecedere,eum autem qui poſtea ex terra fictus eſt, ad ſpeciem priorem effectum eſſe iudicauit. Atque etiã Homerus ex terra fictum eſſe hominẽ cùm ex veteri diuináq; hiſtoria cognouiſſet,in qua hæc ſcripta ſunt, Terra D
es & in terrã reuertẽris, inanimum Hectoris corpus mutam terram nominat.In Achillẽ enim qui poſt mortẽ Hectoris cadauer trahebat,hęc dixit,
Mutum namque ſolum deturpat percitus ira.
Et rurſus alio quodam loco in Menelaum dicentem apud eos qui non æquis animis Hectoris ad ſingulare certamen prouocationem acceperant,
Sed vos terra quidem cuncti facti eſtis & vnda:
nimia iracundia incitatus eſt,eos in antiquã priorémque ex terra effictionẽ diſſoluens. Hæc cùm ex antiquis hiſtoriis hauſiſſent Homerus & Plato,in libris ſuis ſcripſerunt. Vnde enim aliunde Plato currum volantem Iouem agere in cælo didicit, &. ait,niſi ex prophetarum hiſtoriis quas euoluerit? Intellexit enim ex prophetæ verbis quæ de Cherûbim ita ſcripta ſunt,Et E
Domini gloria ex domo exiuit,venítque in Cherûbim,ſumpſeruntq; Cherûbim pennas ſuas,& rotę eorũ cohærebant, Domíniq; Dei Iſraël in eis in cælo inſidebat gloria. Hinc profectus Plato ille magna cũ fiducia clamat his verbis,Magnus ergo in cælo Iupiter currum volantem incitans:alióqui
à quo

A à quo alio niſi à Moſe atque prophetis hæc cùm didiciſſet literis mãdauit?
Vnde porrò occaſione arrepta,in ignea etiam eſſentia Deũ eſſe dixit?nón-
ne à tertia regnorũ hiſtoria?in qua ſcriptũ eſt,Nónne in ſpiritu Dominus,&
poſt ſpiritũ cõcuſsio:nónne in cõcuſsione Dominus, & cõcuſsionem ignis
ſequitur?nónne in igne Dominus,& poſt ignẽ tenuis auræ ſonus?Sed hæc
quidẽ per anagogen cum multa cõtemplatione piis neceſſariò cognoſcen-
da & intelligenda ſunt. Plato autẽ cùm eadem verba non cum ea qua de-
buit cognitione accepiſſet,in ignea eſſentia Deũ eſſe ſcripſit. Quòd ſi quis
etiã de munere quod è cælo à Deo in ſanctos homines delapſum eſt,quod
Spiritũ ſanctũ ſacroſancti prophetæ nominãt,aliquid accuratè velit cogno-
B ſcere,ipſum à Platone in libro quẽ Menonẽ inſcripſit,alio nomine celebra-
tum inueniet.Cùm enim vereretur Dei donũ & munus Spiritũ ſanctũ no-
minare,ne Græcorũ hoſtis,prophetarũ diſciplinã doctrinãmq; ſequens,vi-
deretur,id quidẽ è cælo à Deo delabi fatetur,nõ tamen Spiritũ ſanctum,ſed
virtutẽ ſibi appellandũ cenſuit.Sic enim cum Menone in diſputatione quã
de recordatione inſtituit, poſteà quàm multa primũ de virtute diſſeruit ac
rogauit,vtrùm tandẽ virtus doceri poſsit,an nõ poſsit,ſed exercitatione cõ
paretur:an neq; exercitatione,nec doctrina cõparetur, ſed natura ingenere-
tur hominibus,aut aliqua alia ratione:deinde ſententiã ſuã exponit his ver-
bis,Quòd ſi nos modò in omni hac diſputatione rectè & quæſiuimus & di
C ximus,certè virtus nec natura ineſt,nec doctrina cõparatur,ſed diuino mu-
nere ſiue mente ad eos peruenit,ad quos venit. Hæc mea quidẽ ſententia
apertè à prophetis de Spiritu ſancto cùm Plato accepiſſet,ad virtutis nomẽ
videtur trãſtuliſſe.Vt enim ſacroſancti prophetę vnũ eundémque Spiritũ in
ſeptẽ Spiritus tribui confirmant:ſic etiã ipſe vnam atque eandẽ virtutẽ no-
minãs,eã in virtutes quatuor diuidi tradit, cùm nollet Spiritus ſancti men-
tionẽ vſquã facere,& tamẽ per allegoriã obſcuréq; ea quę à prophetis de Spi
ritu ſancto dicta ſunt,apertè enunciaret. Sic enim in extrema diſputatione
quam cùm Menone habuit,ſcripſit,Ex hac igitur ratione conſtat,Menõ,di
uino cõceſſu ac munere ineſſe virtutẽ quibuſcunque inſit.Tum verò planè
hoc intelligemus,quónam modo virtus ad homines veniat,cùm antè ipſum
D per ſe conabimur quærere,quidnam ſit virtus. Videtis,vt munus quod è cę-
lo delabitur,virtutem ſolùm nominat.Iam verò quęrendum eſſe exiſtimat,
vtrũ illud ipſum,virtutis,an aliquo alio nomine appellari deceat:quòd ve-
reretur, ne planè Spiritum ſanctum nominaret,atque ita prophetarum te-
nere diſciplinam.Vnde autem doctus Plato, tempus cum cælo ortum eſſe
cognouit?Sic enim ſcripſit,Tẽpus ergo cum cælo ortũ eſt,vt cùm ſimul or-
ta eſſent,ſimul etiã interirent,ſi modò eorũ fiat diſſolutio.nónne hoc à di-
uina Moſis hiſtoria didicit?Intellexit enim tẽporis ortum à diebus,menſi-
E bus,& annis principiũ cõpoſitionis accepiſſe. Tanq̃ igitur primus dies qui
poſt cælũ ortus eſt, vniuerſi temporis principiũ attuliſſet,(Sic enim Moſes
ſcripſit, In principio fecit Deus cælũ & terrã:deinde ad ea hęc adiungit,Et
factus eſt dies vnus)quaſi à parte Plato totum tẽpus ſignificãs,diẽ tẽpus nomi
nat,ne videatur,ſi dierũ mentionẽ feciſſet,apud Atheniẽſes accuſãdus,vt qui
omni ex parte Moſis ſequeretur ſentẽtiã. Vnde porrò etiã de cęli diſſolutione

acceptа ſentẽtia,ita ſcripſit?an nõ cùm etiã hoc à ſacris prophetis didiciſſet, A
atq; hoc modo ab eis dictũ eſſe exiſtimaſſet?Quòd ſi quis etiã ſtatuarũ ratio
nẽ exquirat,vnde ducti & impulſi primi illi qui deos veſtros fabricati ſunt,
eos hominũ formas habere cognouerunt,hoc etiã eos à diuina hiſtoria acce
piſſe inueniet.Cùm enim apud Moſẽ ex Dei perſona hoc ſcriptũ ſit,Facia-
mus hominẽ ad imaginem noſtram & ſimilitudinẽ,quaſi ita dicti ſint ho-
mines forma Deo eſſe ſimiles,ſic deos ſuos fabricari cœperunt,quòd res ſi-
miles ex ſimili ſe efficere putarẽt.Quorſum hæc nũc,Gentes,cõmemorãda
cẽſui?vt intelligaris verã religionem nõ poſſe ab iis diſci & percipi,qui ne de
iis quidẽ,quorũ cauſa eis qui alieni à religione vera ſunt,admirationẽ ſui ex- B
citarũt,propriè aliquid ſcribere potuerũt, ſed tantũ per quãdam illã allego-
riã & obſcuritatẽ à Moſe cæteriſq; prophetis ſumpta in ſuis hiſtoriis enun-
ciarũt.Quare nunc tẽpus eſt vos Gẽtes,quibus fides facta ſit hiſtoriis ho-
minũ,qui à religione noſtra abhorrẽt,Moſẽ cętéróſq; prophetas multò an-
tiquiores eſſe iis omnibus qui apud vos ſapiẽtes habiti ſunt,& à veteri ma-
iorum veſtrorũ errore diſcedere,& legere diuinas prophetarũ hiſtorias,& ex
eis verã religionẽ cognoſcere,quæ quidẽ nõ verborũ vobis technas & frau-
des enũciant,nec accõmodatis ad perſuadendũ fidémq;faciendã verbis vtũ-
tur,(hoc enim eorũ eſt propriũ,qui veritatẽ clàm tollere volũt)ſed ſimplici-
ter quęlibet nomina& verba adhibent,eáq; vobis pollicẽtur & denunciant, C
quæ Spiritus ſanctus ſuo in eos lapſu eos qui verã religionem volũt diſcere,
per eos docere ac profiteri voluit.Omni ergo pudore depoſito veteríq; ho-
minũ errore,verborúmq; magnificẽtia ſuperſtitioſa abiecta, qua vos omnẽ
perfruendarũ voluptatũ abũdantiã habere exiſtimatis,ea quę vobis vtilia ſalu
tariáq; ſunt, tenete. Neq; enim vos malè de maioribus veſtris nũc merebi-
mini,ſi in ſententiã quæ illorũ errori cõtraria ſit,deduci velitis:quos veriſi-
mile eſt nũc in inferis ſeram pœnitentiã agentes dolere.Qui ſi poſſent illinc
vobis quæ poſt vitæ huius extremũ diẽ ſibi acciderũt,exponere, profectò
quãtis à malis vos liberatos velint,cognoſceretis.Nũc verò cùm fieri hoc tẽ
pore nõ poſsit,vt vel ab illis diſcatis,vel ab iis qui hîc falſa hac philoſophia ſe D
philoſophari pollicẽtur:cõſentaneũ vobis erit deinceps,depoſito maiorũ ve
ſtrorũ errore,in ſanctorũ hominũ vaticinationibus,prophetiiſq; verſari,non
orationis ſplendorẽ ab eis poſtulãdo,(nõ enim in verbis,ſed in factis & ope-
ribus res religionis noſtrę poſitę ſunt)& ab illis ea diſcere,quę vobis vitã pa-
riãt ſempiternã.Qui enim fruſtra philoſophię nomẽ calũniantur,nihil ſcire
docẽtur:id quod etiã ipſi inuiti fateri cogũtur.Itaque nõ ſolùm inter ſe diſ-
crepãt,ſed ſuas etiã alias aliter explicãt exponúntque ſẽtẽtias.Quòd ſi veri
inuẽtio apud eos eſt philoſophię definitio:quomodo ij qui vera cognitione
& ſciẽtia præditi nõ ſunt,digni ſint philoſophię nomine?Si enim Socrates
is qui apud vos omniũ ſapientiſsimus eſt iudicatus,cui etiã oraculum,vt vos E
quoque fatemini,teſtimoniũ dicit his verbis,Virorũ omniũ Socrates ſapiẽ-
tiſsimus,nihil ſcire ſe profitetur:quónã pacto ij qui eũ ſequuti ſunt,ea etiã
quę in cęlis ſunt tenere ſe profitẽtur? Socrates enim ob eã cauſam ſapientẽ
ſe iudicatum eſſe aſſeruit,quòd cùm cęteri homines hoc ſibi ſumerẽt,ea ſci-
re ſe,quę ignorarent,ipſe nihil ſcire nõ dubitet profiteri.Siquidẽ hęc dixit,
Videor

A Videor ergo hoc quidē hac parua re eſſe ſapientior,quòd quę nō ſcio,ea me. ſcire nō arbitrer.Nemo autē exiſtimet diſsimulatione ignorationē ſibi vēdicare & ſumere Socratē,quòd ſępe in ſermōibus hoc facere ſolitus ſit.Extremū enim verbū defenſionis,qua cùm in carcerē abiret,vſus eſt,eū ſtudio ac verè profiteri ignorationē indicat.Verba enim eius hæc ſunt,Sed tempus eſt,iam hinc abire,me vt moriar,vos vt vitā agatis.Vtri autē noſtrū ad meliora veniant,neminē niſi Deū ſcire arbitror.Ac Socrates quidē poſtrema hac voce miſſa in Ariopago,in carcerē profectus eſt,cùm Deo vni rerum quæ nobis incertę ſunt,ſcientiā tribueret.Ij autem qui eum conſecuti ſunt,cùm ne ea quidē quæ in terra verſantur, cognita habere poſsint,cęleB ſtes res quaſi viderint,ſciētia ſe cōprehēdiſſe profitentur.Ariſtoteles enim, tanquā acriùs quàm Plato res cæleſtes viderit,nō vt Plato,in ignea eſſentia Deū eſſe dicit,ſic etiā ipſe ait,ſed in æthereo quinto elemēto eum eſſe cenſuit:& qui de his ſibi credi propter orationis nitorē & probabilitatem æquum cenſebat,cùm nec Euripi naturā qui in Chalcide eſt,ſcientia cōprehēdere poſſet,magna ignominia & dedecore offenſus exceſsit è vita. Nemo igitur eorū qui mentis ſuę ſunt,antiquiorē ducat ſalute ſua iſtorū eloquentiā,ſed veteri illi hiſtoriæ parens,auribus cera obſtructis, ſuaue ex Sirenum ipſarum cantu naſcens detrimentū fugiat.Homines enim quos dixi eloquentiā nitorémque orationis quaſi eſcā & illecebram quandā ꝓpoC nētes, multos à recta veráq; religione abducere inſtituerūt,eius qui primos homines deorū multitudinē docere auſus eſt,imitatione:quibus ne aſsētiamini & pareatis,poſtulo,ſed vt ſanctorū virorū prophetías legatis, id peto. Quòd ſi qua dubitatio,aut vetus maiorū veſtrorū ſuperſtitio obſtat,quo minùs adhuc in ſanctorū hominū vaticinationibus &ꝓphetijs verſemini à quibus licet vobis vnū atq; ſolū Deū eſſe diſcere,quæ prima eſt veræ religionis notitia,Orphei qui primū vos multitudinē deorū docuit,deinde verò vtilem ac neceſſariā palinodiam canere inſtituit,auctoritatem ſequimini,qui ea ſcripſit quæ paulò antè protuli:cæteríſque qui eadē de vno Deo ſcripta D reliquerūt,credite.Diuina enim pro vobis prouidentia actū eſt,vt hi etiam inuiti ea quæ à prophetis de vno Deo prodita ſunt, vera eſſe pro teſtimonio dicerent,vt improbata ab omnibus & repudiata multitudinis deorum ratione,vobis facultatem cauſámq; veræ cognitionis ſciētiǽque præberet. Erit autē vobis facile verā rectámq; religionē aliqua ex parte à vetere Sibylla quę vos vi afflatúq; quodā permota oraculis doceat,ea diſcere quæ proximè accedere videntur ad prophetarū diſciplinā.Hanc autē ferunt Babylone profectā eſſe,Beroſi qui Chaldæorū hiſtoriam ſcripſit,filiā,& ad Campaniæ partes neſcio quomodo perueniſſe, atque ibi oracula ſolitā edere in E quodam oppido quod Cumę diceretur,quódque à Baiis ſexto lapide abeſſet,vbi balnea Campaniæ eſſe contigiſſet . Inſpeximus autem cùm in illo oppido eſſemus , locum etiam quendam in quo baſilicam maximam quæ ex vno ſaxo extiterat, cognouimus , rem maximam & omni admiratione dignam , vbi eam oracula edere ſolitā dicebant ij qui patria inſtituta à maioribus acceperāt.In media autem baſilica commonſtrabant no-

bis tres ciſternas,quæ ex eodẽ ſaxo manarant,quæ cùm magna vi aquarum A
exundarent, in eis illam ablui ſolitam narrabant, & cùm ſtolam iterum ſumpſiſſet,in intimã baſilicę domum, quæ ex eodem ſaxo emineret,ſe recipere,atque media domo in excelſo ſolio ſedentẽ,ita oracula edere. Huius porrò Sibyllę cùm plerique alij hiſtoriographi mentionẽ fecerũt,tum Plato in Phædro. Videtur autẽ mihi Plato cùm huius oracula legiſſet,eos qui oracula ederẽt,diuinis afficere honoribus. Videbat enim ea quę olim ab ea prędicta eſſent,re cõpleri:ob eámq; cauſam cum admiratione in Menone eos qui oracula edebãt,laudans,ſcripſit his verbis,Rectè igitur diuinos appellabimus & eos,quos oracula edere modò dicebamus,& vates,& omnes
poëtas:nec minùs quàm hos,illos qui remp.adminiſtrãt & diuinos & per- B
motos eſſe dicemus,cùm ſint afflati occupatíque à Deo quoniã de multis magníſque rebus differentes in eis verũ aſſequãtur, nec quicquam eorum quæ dicunt, ſcientia cõprehenſum habeant.quæ cùm diceret,planè apertéque oracula Sibyllę intelligebat. Hæc enim nõ vt poëtę ſic poſteaquàm verſus ſcripſerat,corrigẽdi poteſtatẽ habuit,& perpoliendi propter verſuũ ſubtilitatẽ & accurationem, ſed ipſo afflatus permotioníſque tẽpore vaticinationes explebat:cùm autem afflatus deſinebat,vnà etiam eorum quæ dicta erant,eam deficiebat memoria. Hæc igitur cauſa eſt, cur non in omnibus Sibyllę carminibus modi,pedéſq; ſeruentur. Ipſi enim in oppido il-
lo cùm eſſemus,comperimus ex iis qui duces ſunt viarum,qui etiam nobis C
loca in quibus oracula edebat, cõmonſtrarunt, & vas quoddam ex ære factum,in quo oſſa eius aſſeruari dicebãt.Narrabant autẽ præter omnia quæ exponebant,hoc etiã quod à maioribus accepiſſent,eos qui oracula exciperent,quòd ferè ignari eſſent,multis in locis à modorũ ſubtilitate veritatéque aberraſſe: hàncque cauſam eſſe dicebant cur modis verſus carerẽt, quòd & ea quæ oracula edebat, cùm occupatio afflatúſq; eã defeciſſet,eorum quæ dicta eſſent non meminiſſet,& ij qui dictata exciperent,propter ignorationẽ & imperitiã,ex certa modorum ratione excidiſſent. Perſpicuũ eſt igitur his cauſis ductũ Platonem,cùm Sibyllę oraculorũ rationẽ habe-
ret,hęc de iis qui oracula ederent,dixiſſe,Cùm verũ aſſequantur in multis D
magníſq; prędicendis rebus quarũ non habeant ſcientiã. Veruntamẽ quoniã non in poëtarũ modis & verſibus verę religionis res poſitæ ſunt,nec in ea inſtitutione,quæ apud vos probatur:relicta repudiatáq; in poſterũ verſuũ verborúmq; ſubtilitate,iis quę ab illa dicta ſunt ſine contentione attendẽtes,cognoſcite quàm multorũ magnorúmque bonorũ vobis cauſam datura ſit,quæ cõſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti aduentũ apertè planéq; prędicat,qui cùm Dei verbũ ſit inſeparabili poteſtate,aſſũpto homine qui ad Dei imaginem ſimilitudinẽq; fictus eſt,veterũ maiorũ noſtrorũ religionẽ quaſi
poſtliminio reſtituit:quã cũ ij homines qui ex eis orti ſunt,reliquiſſẽt,inuidi E
dęmonis doctrina ad eorũ qui dij non ſunt,ſuperſtitionẽ cõuerterũt. Quòd ſi qua vos dubitatio fidei de hominis procreatiõe cõturbat,iis credite,quibus etiã credendũ eſſe cẽſetis,& intelligite oraculũ veſtrum,quod quidam dignũ cenſuit,quo laus præpotẽti Deo tribueretur.hæc autem verba in eo

medio

A medio cõtinẽtur, Quẽ primum finxit hominẽ appellauit Adamum, húnc-
que hymnum à multis quos nouimus, ſeruari contigit ad eos refellendos
& culpandos, qui veritati cui pro teſtimonio omnes dicunt, nolunt crede-
re. Quapropter, Gẽtes, ſi minimè anteponendã veſtræ ipſorũ ſaluti falſam
de iis qui non ſunt dij ſententiam ducitis, valeat apud vos ad perſuaden-
dum faciendámque fidẽ antiquiſsimæ Sibyllę auctoritas, cuius libri in or-
be terrarum extant, quæ & diuino numine afflata oraculis vos docet, eos
non eſſe deos qui dicuntur, & Ieſu Chriſti conſeruatoris noſtri futurũ ad-
uentũ, omniáq; quæ ipſe facturus eſt, apertè planéque prædixit. Erit enim
B harum rerum ſcientia neceſſaria quædam & prima vobis vaticinationis
ſanctorum virorum exercitatio. Quòd ſi quis eſt, qui exiſtimet ſe ab anti-
quiſsimis philoſophis qui clariſsimi apud ipſos habiti ſunt, rationem de
Deo didiciſſe, is Acmonem & Hermetem audiat: Acmonem quidem, qui
in ſuis de ea libris omnino abſtruſum & occultum Deum nominat, Her-
metem autem planè apertéque hæc loquentem, Deum quidem intellige-
re difficile eſt, vt autem enuncietur, & exprimatur, ab eo qui etiam eum
intelligere non poſsit, fieri non poteſt. Quare omni ex parte par eſt in-
telligi, fieri non poſſe, vt vllo alio modo Deus vel recta veráque religio
niſi ex prophetis qui diuino inſtinctu & afflatu vos docent, intelligatis.
C

IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS DE MONARCHIA LIBER, IOACHIMO Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

CVm genus hominum principio cõiunctã cum ſapiẽtia &
intelligentia ſalutẽ, veritaris, religioniſq; vnius omniúm-
que Domini cognoſcendæ cauſa accepiſſet: inuidia clàm
irrepens, præſtantem hominum virtutem & magnitudi-
nem ad ſimulachrorum effictionem traduxit: ſuperuaca-
D neúmq; illud & minimè neceſſarium inſtitutũ cùm diu
tenuit & valuit, multis errorẽ vt naturæ accõmodatum verúmque tradit.
Sed eius eſt, qui homines, aut eius potiùs qui Deum charum habet, eos qui
ea reliquerunt & prætermiſerunt quæ ſcire debebant, admonere. Nam ſã-
tis quidem per ſe poteſt veritas ex iis quæ infra cælum cohærent, eius qui
ea fecit, habitum & ordinẽ docere: ſed obliuio cùm Dei patiẽtia freta ho-
minum mẽtem & animum occupaſſet, ad ſcelus ſe conuertit, faciléque ac
citò nomen quod in eum vnũ qui verè Deus eſt, conuenit, ad mortales ho-
mines trãſtulit: atq; à paucis improbitatis quaſi paſtũ & pabulum plerique
E acceperunt, cùm in eis rei ſtabilis atque immutabilis obſcurata eſſet noti-
tia multitudinis more & cõſuetudine. Nam ij quidem qui à primo mũdi
ortu fuerunt, cùm eis qui excellebant, honoris cauſa ſacra facerent, cõmu-
nis opinionis obliuionẽ multis attulerunt. Ego autem, vt pauló antè pro-
miſi, animo vſus eius cui Deus charus ſit, voce vtar eius qui homines cha-
ros habet: ſuadebóque iis qui mentis ſuę ſunt, quã in omnibus qui mundi

adminiſtratione vſi ſunt, ineſſe oporteret, vt immutabilẽ firmámq; teneāt A
eius qui omnia cognoſcit, religionem. Quod quidem non orationis ſplẽdorem nitorémque adhibens dicam, ſed probatione vtar poëſi antiquorũ in omni planè Græcorum hiſtoria, atque ex ſcriptis quæ paſsim & vulgò omnibus cõceſſa ſunt. Ij enim qui religionis idolorum, id eſt, ſimulachrorũ legẽ atque inſtitutum multis prodiderunt, ab iis ipſis ex quibus hauſerũt, poëtis ſuis verſuúmq; ſcriptoribus mentis impotes eſſe conuincentur. Primus enim Æſchylus cùm verborum ſuorum ſtructuram explanaret, de ſolo etiam Deo dixit hoc modo:

Secerne ſemper Deum à mortalibus,
Nec ex carne ipſum tu tibi parem puta. B
Non noſti eum: nunc ſpeciem quidem ignis gerit
Mole carens impetus, nunc nubis, nunc aquæ,
Idémque beſtiis ſimilis nunc redditur,
Flatui, pluuiæque, nubibus, ac fulmini.
Obedit ipſi vis maris, ſimul petræ,
Omnéſque fontes, aquarúmque collectio.
Tremúntque montes terráque, atque maxima
Profunda ponti, montium & faſtigia,
Quando Domini toruè ipſa vultus aſpicit.
Omnia namque poteſt: ſed Dei gloria. C

Nec verò hic vnus Dei notitiam indicauit & patefecit, ſed etiam Sophocles ſolius rerum omnium opificis vniúſque Dei ordinẽ habitúmque narrat hoc modo:

Eſt vnus, eſt verè profectò vnus Deus,
Polúmque fabricauit, & longum ſolum,
Pulchrum tumorémq; maris, vímque flatuum.
Mortalium aſt errantes corde plurimi
Extruximus nos ſolatia cladium.
Deorum imagines ſaxeas, æneas,
Aut fabrefactas auro, vel eburneas. D
Eíſque ſacra præclara, atque feſtos dies
Quando actitamus, ſic nos putamus pios.

Quinetiam Philemon qui antiqua dicere potuit, eorum quæ ſunt notitiæ & ſcientiæ aſſentitur, vt ſcribit,

Deúſque qualis eſt putandus, explica,
Qui cuncta cernit, atque eum nihil videt.

Mecum etiam facit Orpheus, qui trecentos & ſexaginta Deos inducit in eo libro, qui Teſtamenta inſcribitur, cùm eum huius rei pœnitere videatur. Hęc enim ſcribit. E

Tu quem luna ſuis tenerum ſinibus tulit, audi,
Muſæe, effabor nam vera tibi: caue, ne te
Decipiant mentémque tuam mala quæ antè probaſti,
Fige Dei in verbum tua lumina, in hócque quieſce.

Flecte

A *Flecte ratem mentis, ſtabilique hanc dirige curſu.*
Qui regit imperio cuncta, hunc reſpice ſolum.
Vnus is eſt, per ſe extitit, omnia condidit vnus.
Eſt in eis ipſe, aſt hominum nec cernitur vlli,
Cùm tamen aßiduè cuncti videantur ab ipſo.
Exque bono ipſe malum miſeris mortalibus affert.
Idem horrentia bella ferit, duróſque dolores.
Nec quiſquam eſt alius regalis numinis expers,
Non tamen hunc video, ſedes in nube tenentem.
Mortales nam oculi cunctis mortalibus inſunt,
B *Cunctorúmque Iouem non poſſunt cernere regem.*
Hic etenim ſummum ſemper tenet æthera fixus
Aurato in ſolio, pedibus ſubiectáque terra eſt,
Oceanum dextra vaſtum complectitur ipſe.
Hunc montéſque timent celſi, fluuiique perennes,
Necnon & pelagi latè ima altißima vaſti,

Atque hæc ita exponit, vt ſi Dei magnitudinem ipſe vidiſſet. Ei etiam Pythagoras aſſentitur, cùm ſcribit,

Si quis ait, Deus extra vnum ſum, dicere debet,
Huic mundum ſimilem cùm fecerit, Eſt meus iſte.
Dicere nec ſolùm, meus hic eſt, ipſe ſed in hoc
C *Quem fecit ſedes firmare ſuas, vt & iſte*
Fecit in hoc.

Hunc autem vnum & de ijs quæ in vita geruntur, & de Dei ignoratione iudicium conſtituturum eſſe, idoneorum hominum teſtimonio poſſum dicere. Ac primùm Sophoclis, qui de hac re ſcribit hos verſus,

Præſens erit nam tempus illud ſeculi,
Quando refertos igne theſauros trahet
Ignitus æther, atque quicquid continet
Polus pariter & terra, ſæua flammula
D *Vret furens: at hæc quando cuncta concident,*
Tunc ima ponti demum erunt inania
Terræque ſedes inanis atque ſolus erit locus,
Nec iam volucres ſuſtinebit igneus.
Nam pono ſemper duas vias ad inferos,
Vnam bonorum, ſimul malorum alteram,
Finémque poſt quem ſeruabit omnia quæ perdidit.

Quinetiam Philemon rurſus,

Speráſne mortuos ſemel, Nicoſtrate,
E *Qui omni in voluptate ſuos duxerint dies,*
Et terram operturam per cuncta tempora,
Quaſi latentes effugiſſe eos Deum.
Iuſtitiæ aſpectus cernit omnia.

Diphilo hos verſus Clemens Alexandrinus in 5. libro Stromat. tribuit.

A differentiam diſsimilitudinémque ignorauerit. Deus enim omnia in vnũ temperat, cùm ſatis ſcientia ſimul & poteſtate ſit præditus: quorum alterutrum in nemine neque nunc ineſt, neque inerit vnquam. De ijs autem qui apud quoſdam ſancti perfectíq; nominis participes eſſe vidētur, quòd nonnulli ſtulto vanóque inſtituto vt Deo attribuerunt, Menander in Auriga ſcripſit hos verſus,

Nemo placet mihi ambulans extrà Deus,
Nec quiſquam domum qui in tabula conuenit.
Iuſtum oportet ſed Deum
Illic manere qui ædificantes tegat.

B Idem Menander in Hieræa,

Nullus per vnum mortalem ſeruat Deus
Alium ſi enim Deum quempiam rapit
Mortalium quis, vult quocunque cymbalis,
Hoc qui facit, profectò maior eſt Deo.
Verùm iſta ſunt vitæ inſtrumenta & audaciæ,
Inuenta mortalibus impudentibus,
Et ficta cauſa iocandi per vitam, Rhode.

In Miſumeno rurſus exponens eorum ſententias, qui in Deos referuntur, atque adeò refellens vt falſas ac nullas, idem Menander hæc ſcribit:

C *Hoc enim ſi prouexero, receperim*
Vel animum: ſed enim quo loco Deos
Tu ſic bonos inuenire queas, Geta?

Et in Depoſito,

Eſt iudicium iniquum vt videtur, & in Deis.

Euripides quoque tragicus poëta in Oreſte,

Phœbus iubens me afferre matri necem,
Honeſti quidem, iuriſque eſt imperitior.
Serui ſumus deorum, quicunque ſint dei.
D *Vides Apollinem qui vmbilicum tenens*
Mortalibus os exerit clariſſimum,
Cui obtemperamus, quicquid tandem ille dixerit.
Huic obtemperans, parenti necem attuli,
Eum putate impium necique tradite.
Peccauit ille, non ego: quid debui
Patrare? nónne mihi referenti ſcelus poteſt
Remittere?

Et in Hippolyto.

E *Sed non enim rectè iſta iudicant Dei.*

Et in Ione.

Verum mihi quid Erechthei filia
Curæ eſt? nihil ad me attinet aureis
Rotis vbi primùm ad fluxiones venero,
Rorem dabo: verùm admonendus eſt mihi

Al. nuptiarum vi.

Phœbus quid agat, ducens vi ipſe virgines, A
Prodit ipſe qui feruntur ventre liberos
Clàm, negligit migrantes, quæ ne facias vide,
Virtutibus ſed ſtude victor: quiſquis enim malus
Mortalium fiat, hunc puniunt dei.
Quî fit quin æquum ſit; mortalibus datis
Qui iura vos, iniuſtitiæ nomine
Damnari? adeſſe ſi negatis, iura vos
Sic nuptiarum dabitis per vim mortalibus,
Neptunus & tu, & Iuppiter polum tenens:
Vos cum dolore, nam iniuſtè viuitis. B
Nam prouidentiæ lege voluptatibus
Inſeruientes, iniuſti eſtis: non malos
Vocare nos iam æquum eſt, ſi deûm bona
Sequamur, aſt eos ipſos hæc qui nos docent.

Et in Archelao,

Plus liberis dij homines ſolent fallere.

Et in Bellerophonte,

Si malum dei faciunt, non ſunt dei.

Rurſus in eodem,

Dicit quis eſſe certè in olympo deos: C
Non ſunt ibi: ſi quis dicat mortalium,
Ne quis vetuſto ſtultus verbo aſſentiat,
Spectate verò ipſa non ex verbis meis
Prudentia præditi: aio tyrannidem
Mulctare multos, poſſeſſas auferre res,
Deleréque vrbes datam violantes fidem.
Atque iſta cùm gerant, beati ſunt magis,
Quàm qui per omne vitæ tempus ſunt boni.
Vrbéſque paruas colentes deos ſcio, D
Maioribus quæ obediunt, nefaria
Haſtæ magis deuictas multitudine.
Opinor autem vos ſi quis iners deos
Precetur, & victum non colligat manu,
Diuina clades quoque muniunt mala.

Menander quoque in Diphilo,

Qui Dominus eſt verè ſemper omnium
Et pater, hic vnus ſemper colendus eſt
Qui tanta protulit & inuênit bona.

Idem etiam in Piſcatoribus, E

Quod namque alit me, iſtud ego
Puto Deum: quod alere omnes ſolet,
Id non requirit ſumptus ab eo, quod ipſum indiget.

Idem in Adelphis.

Deus

A *Deus in bonis ſemper eſt.*
Vt namque conſtat,eſt mens prudentiſſimi.
Et in Tibicinitrijs,
Eſt omne verbo bono
Sacrum : etenim mens eſt loquuturus Deus.
In Phrixo Tragicus poëta,
Quòd ſi eſt bonus,cúmque impiis maximè
Conſentiebat, hæc quo modo quæ habent bene?
Si Iuppiter bonus, nil legitimum ſapit.
B In Philoctete,
Vide quàm lucrum ſit & deis bonum,
Laudatur autem in templis plurimum
Auri tenens : quid tandem te etiam impedit
Præſens lucrum , vt tu fias ſimilis deis.
In Hecuba,
Quicunque ſit Iuppiter, (tantùm enim ſcio
Nomen tuum) ſed ſiue naturæ te neceſſitas
Vocauerit ſic, ſiue mens mortalium,
Precata ſum te.

C Hìc igitur eſt virtutis & mentis intelligentiam amantis demonſtratio, qua docetur homo ad coniunctionis ſocietatem reuerti, ſéque intelligẽtiæ ſalutis cauſa adiungere, deligeréque meliora pro eo arbitrio quod eſt in eo liberum, non eos qui iiſdem quibus homo affectionibus ducuntur, huius vniuerſitatis dominos,præſertim cùm ne eodem quidem loco,quo homines,digni eſſe videantur. Apud Homerum enim Demodocus quidem per ſe & à ſe didiciſſe dicit,

Sum doctus per me,& Deus omnimodos mihi cantus
In me ingenuit.

Æſculapius & Apollo cúm mortales eſſent,apud Chironem centaurũ medicinam diſcunt,(id quod maximè nouũ)apud hominem dij. Quid enim Liberũ patrem commemorem,quem inſanum & furẽtem poëta nominat? aut Herculem,quem miſerum vocat? Quid verò attinet me cõmemorare Martem & Venerem ſtupri authores & duces? atque ex his omnibus iudicium ijs quæ docentur inducere? Si quis enim non didicerit , & diuina in ijs quæ dicũtur facta imitetur, is etiam tũ & à falſorum vita & ab humana abhorrere videbitur. Qui autẽ didicerit,conſentaneã præclarámq; ſuppliciorũ declinationẽ habebit,declarans nó eſſe contra leges diuinorũ facinorum imitationẽ. Quòd ſi quis fortè facta reprehenderit,is & nomina quæ ex iis cognita ſunt,tollet,& ne perſuaſis quidem, grandibúſque verbis ea E tuebitur. Amplecti autem retineréque debemus verum & immutabile nomen, quod non mea vnius oratione ſed ab iis etiam celebratur & prædicatur,qui nobis prima diſciplinæ quaſi fundamenta tradiderunt, ne huius vitæ curſu negligenter confecto, non ſolùm vt cæleſtis gloriæ ignari, verumetiam vt ingrati iudici rationes reddamus.

ARA 2974

IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS EXPOSITIO FIDEI DE VERA RECTAQVE CONFESSIONE, ID EST, de ſancta eiuſdémque eſſentiæ Trinitate liber.

Eiuſdem ad Zenam & Serenum epiſtola.

Eiuſdem de quæſtionibus à Chriſtianis Gentibus poſitis, earúmque reſponſionum refutationibus liber.

Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

Eiuſdem Perionij in eoſdem libros obſeruationes.

Ad D. Carolum Lotaringum Cardinalem.



LVTETIÆ PARISIORVM,

Apud Iacobum Dupuys, ſub inſigni Samaritanæ, è regione collegij Cameracenſis.

1554.

Cum gratia & priuilegio.

D. CAROLO LOTARINGO, CARDINALI IOACHIMVS PERIONIVS BENEDICTINVS *Cormæriacenus* S. P. D.

SCIO *eſſe, Carole Cardinalis, qui de Lactātio illo Firmiano ita ſentiant viros etiã ſanctiſsimos ac doctiſsimos, vt eũ grauiſsimè quidẽ copioſiſsiméq; dicant, eorũ qui à religione Christiana abhorrẽt, refelliſſe ſentẽtias, in noſtris autẽ cõfirmandis decretis ſatis magnã operã, curámq; & diligentiã adhibuiſſe negẽt: quod quidẽ eius libros diligẽter ſtudioſéq; mihi quoque legẽti ſæpenumero de eo cõtigit & ſentire & dicere. De Iuſtino autem philoſopho & martyre neminẽ qui quidẽ verè iudicare velit, ita exiſtimare poſſe arbitror. Nam cùm duo ſint genera hominum, qui à diſciplina, & quaſi philoſophia Chriſtiana diſcrepent, Iudæorum vnũ, alterum Gentium: vtrorumque falſas ſententias ita proprijs & illuſtribus, notiſque rationibus ac teſtimonijs reprehendit & refutauit, vt Iudæis quidem in eo ſermone quem Epheſi cum Tryphone Iudæorũ principe aliiſq; Iudæis habuit, teſtimonijs innumerabilibus quæ ex veteri lege deprompſiſſet, Ieſum ſeruatorẽ noſtrũ, verũ eſſe Chriſtũ, quẽ prophetæ futurũ prædixiſſent, demonſtrauerit, eoſdémq; falſò & corruptè prophetarũ verba interpretari ſolitos docuerit: Gentibus autẽ oſtenderit in eo libro qui Parænetica oratio inſcribitur, Poëtarũ, philoſophorúmq; & Sibyllæ quos in maximo honore ac pretio haberẽt, teſtimonijs ac ſententijs, & eos quos vt deos colerent, non eſſe deos, & Deũ vnum ac verum eſſe eum, quem Chriſtiani colant atque venerentur. Idémque fecit & in nonnullis aliis libris, qui ſi extãt, nondũ editi ſunt, & in orationibus duabus, quibus Chriſtianos apud Antoninum Pium imperatorẽ, eiúſque liberos & Senatum Romæ defendit. Atque in ijs quidem libris omnibus etſi videtur longã ſæpe orationem in cõfirmandis noſtræ diſciplinæ decretis ponere, tamen propria eſt in eis Iudæorum atq; gentium refutatio. In eo autẽ qui eſt ab illo de vera rectáque fidei confeſsione, ſiue de ſancta eiuſdémque eſsentiæ Trinitate ſcriptus, quem à me conuerſum hoc tẽpore in tuo nomine diuulgo, quid Chriſtiano homini credendũ tenendúmque ſit de ſancta Trinitate, Chriſtique Dei filij conceptu & ortu docet. Hæc autẽ omnia tam firmis clariſque & teſtimoniis & rationibus cõfirmat, vt breuis eius oratio qua vſum ſe eſſe dicit, quòd ſibi rem eſſe cum Eccleſiæ filiis dicat, non minus authoritatis apud me, quàm nonnullorum prolixi de ea re libri habeant ad faciendam fidem: ídque tibi multiſque aliis viſum iri confido: non quòd aliorũ tempus, & otiũ quod in iis rebus pluribus confirmandis maius conſumpſerunt, improbandũ putem, ſed quòd breuitate orationis nonnulli rem ſæpe quam tractent, magis patefaciant etiam abſtruſiſsimam, quàm alij vel longiſsima oratione. Quo quidem in numero Iuſtinum fuiſſe cùm hunc librum ſcripſit, hinc ſciri poteſt, quòd hæc tria, Deum vnum eſſe, Deum & vnum eſſe vnius communitate naturæ atque eſſentiæ & perſonarum (hoc enim verbo vtendum eſt, aliiſque iam in hac re tritis & vſitatis) diſtinctione trinum, & Deum factum eſſe hominem, tam claris firmiſque teſtimoniis & exemplis vera eſſe docet, vt quiuis intelligere poſsit. Nam vt de illo quod primùm proponit, Deũ eſſe vnum, dicam, quis eſt adeò ignarus, qui non intelligat & fateatur, ſi quis Chriſtianus Deum vnum eſſe neget, ei id quod prætereà ponat, vel Deum eſſe, vel vim*

aliquam quæ non ſit homo, vt angelum, neceſſe eſſe confiteri? quorum tamen vtrumuis concedat, quoniam contra ſcripta diuina vt ille probat, ſe facere intelligit, Deũ vnum eſſe fateri ſe oportere cenſeat. Quid verò facilius planiúſque eſt ad intelligendum, quàm illud quo Deum vnũ eſſe, eúmque in Patre & Filio ac Spiritu ſancto intelligi, ex eo docet, quòd cùm Pater Filium ex ſuá natura eſſentiáque generauerit, ex eadémque Spiritus proceſſerit, ſequatur, vt quæ eiuſdem naturæ ſunt eiuſdem etiam ſint diuinitatis? aut quàm hoc quo docet Filium ac Spiritum vnius eſſe naturæ & eſſentiæ, ex eo quòd cùm omnia quæ ſint, vel in naturarum quæ cõditæ ſunt, aut in earum quæ non ſunt, numero habeantur: & earum quæ creatæ nõ ſunt, proprius ſit dominatus & ab omni vi ac neceſſitate liberatio, earum verò quæ ſunt creatæ, ſit domini legibus præceptíſque parère, Filius Spiritúſque ſanctus naturæ ſunt non creatæ. Hoc enim Scripturæ teſtimonijs demonſtrat. Eundem etiam ſe præſtitit in confirmanda eadem Filij ac Spiritus diuinitate. Eam enim ex eadem & doctrina & baptiſmi diſciplina & poteſtate confirmat. Nihil etiam notius eſt, nihil illuſtrius eo exemplo, quo & Patrem non genitum eſſe demonſtrat, quemadmodum Adamum generatum non eſſe intelligimus: & proprietate Patrem à Filio diſtingui, ſicuti Adamus ab Abelo, ex eo quòd ille non generatus eſt, hic generatus, diſtinguitur. Iam verò quid ſuauius eſt, quid dulcius ad cõmemorandũ nobis quãdiu hîc ſumus, illa eius oratione, qua docet quatenus in Dei cognitione vnicuique noſtrũ progrediendũ ſit, id eſt, pro captu quicuiq; Dei cõceſſu ac munere datus ſit? Poſtremò exẽplũ illud ſolis & lucis & corporis, quo in diuinitatis humanitatiſq; in Chriſto cõiunctione explicãda vtitur, tam euidens clarúmq; eſt, vt res illa tam obſcura illuſtrari, tam difficilis explicari explanariq; nõ potuerit planiùs. Quæ ſi omnia Arîus, Sabellius, Euthyces aliique hæretici conſyderaſſent, nunquam de diuinis illis Perſonis tam praua ſenſiſſent. Quæ cùm ita ſint, intelligis tu quidẽ certè pro ea doctrina rerum diuinarum qua es præditus, me nullum ad te librum qui maiores præſtantioréſque res profiteatur, poſſe mittere: ego autem, quò maius meæ in te obſeruantiæ ac ſi dei teſtimonium extet, duos præterea eiuſdem authoris libros in tuo nomine apparere volui, alterum epiſtolam ad Zenam & Serenum, alterũ qui quæſtiones quinque continet quas Gentibus Chriſtiani ponunt, & reſponſionum Gentium refutationes. Epiſtolam autem illam tibi gratiſſimam fore confido. Vitam enim hominis Chriſtiani omnem cõplectitur, atque adeò omnium qui vitam virtuti cõſentaneã velint degere. Quos quidem libellos tres vt eodem animo accipias, quo Topica noſtra Theologica, & libros Ariſtotelis qui Parua naturalia dicuntur, tum accepiſti, cũ Cormæriaceno cœnobio cuius ſum, praeſſes, te vehementer etiam atq; etiam rogo. Neque enim minoris meæ in te fidei, obſeruantiæque & charitatis eos teſtes eſſe velim nunc, quàm illi tum cùm tu nobis praeeras, fuerunt. Vale. Lutetiæ Pariſiorum, 9. Cal. Sext. M. D. L I I I I.

SANCTI IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS EXPOSITIO FIDEI DE VERA rectáque confeſsione, ſiue de ſancta & eiuſdem eſſentiæ Trinitate, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete

A QVIA ſatis multis Iudæos Gentéſque refellimus, ſequitur, vt rectam ſanámque fidei rationem exponamus. Intelligendum eſt enim nobis profectò, demonſtrata veritate, quemadmodum & quid de ea ſentire debeamus. Neque enim omnino gloria quę Patri ac Filio tribuitur nobis ſalutem affert: ſed integra veráque Trinitatis profeſsio facit, vt pij bonis quæ eis reſeruantur, perfruãtur: præſertim cùm fieri poſsit, vt quiſpiam eos audiat qui aliud ſentiunt, Patrem & Filium laudibus afficientes, cùm intereà non ex recta intelligentia venerationem &
B cultum adhibeant. Itaque neceſſariò nobis huius ſcripti opus fuit expoſitione, quæ lectores ad ſynceram integrámq; veritatis intelligentiam perducat. Igitur vnum Deum colere nos & diuinæ ſcripturæ & patrum doctrinæ docent. Sit enim vnus oportet author omnium maximè, vt nihil extrà circunſtans, ea quæ fiunt labefactet. Etenim ſi quid ab initio extra Deum erat, id profectò neceſſe erat aut Deum, aut vim aliam quamlibet eſſe confiteri. Ac ſi Deum quidẽ id eſſe dicat quiſpiam, is diuinas voces deſcripſit, quæ apertè clamant, Ego Deus primus ſum, & ego poſteà, & præter me non eſt Deus. Si autem non Deum, certè angelos vel virtutes eſſe dicet. Atqui iſto etiam pacto diuina ſcripta improbabit, quæ has etiam à Deo factas eſſe dicunt, Laudate Deum de cælis, laudate eum in excelſis: Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius.
C Et paulò infrà, Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt. Ergo hoc conueniat neceſſe eſt, nihil ab initio ſimul eſſe cum Deo rerum omnium, quandoquidem ab eo omnia in lucem prolata eſſe demonſtratum eſt. Vnus igitur verè eſt Deus omnium, íſque in Patre, Filio, Spiritúque ſancto cognoſcitur & intelligitur. Quoniam enim ex ſua natura & eſſentia Pater Filium generauit, & ex eadẽ proceſsit profectúſque eſt Spiritus: iure ac meritò ea quæ vnius eiuſdémque eſſentiæ ſunt, vnius etiam atque eiuſdem habentur diuinitatis. Quomodo ergo, dicet aliquis, non
D differat id quod generat ab eo quod generatur, & quod proceſsit ab eo à quo profectum eſt? Atqui Pater ingenitus eſt, à quo & Filius generatus, eſt & profectus Spiritus. Non igitur idem eſt Filius & Spiritus ſanctus qui Pater. Nam hæc verba ingenitum, genitum, profectum, non naturæ

eſſentiæq; ſunt nomina,ſed modi ac rationes quibus res conſtant. Ratio autẽ modúſque cõſtandi his nominibus notatur.Eſſentiæ verò explicatio, Dei ſignificatur ac declaratur appellatione,vt ſit Patris à Filio &Spiritu ex modo conſtandi diſtinctio:identitas autẽ, vt hoc verbo vtar,ſit ex ratione eſſentiæ. Si enim Pater ſtatum habet ab omni origine liberum,Filius autem cum origine,&Spiritus cum proceſsione profectionéque cõiunctum: ea quæ diſtinctionis ſunt, ex vi naturæ conſyderantur.Si verò etiam perſonæ ratio per eſſentiam eſſe declarat,communi diuinitatis ſignificatur nomine.Quod autem dico,hoc modo fiet planius.Qui rationem qua cõſtitit Adamus conſyderabit,id eſt, quemadmodum in lucem prolatus eſt, is illum non generatum inueniet: non enim ab aliquo alio homine, ſed Dei manu fictum. Atqui effictio illa rationem ſtatus declarat. Declarat enim quemadmodum ſit effectus.Simili rurſus modo conſtandi ratio effictionem deſignat. Eum enim effictum figuratúmque eſſe declarat. At ſi eſſentiam ipſam quæras,qua cum iis qui ab ipſo orti ſunt, communione coniungitur, id quod ſubiicitur hominem inuenies. Vt igitur effictio rationem conſtandi & cohærendi declarat,modus autem coagmentationis figurationem formationémque deſignat , eſſentiæ verò ratio id quod ſubiicitur hominem eſſe oſtendit:ſic in Deo & Patre reperiemus.Si enim modum quo conſtitit, quæras,cùm eum à nullo alio ortum videas, ingenitum eum appellabis. Si verò ingeniti nomen appellationémque conſyderes,eum inuenies modum conſtandi interpretantem. Quòd ſi eſſentiam quoque ipſam intelligere velis,qua cum Filio & Spiritu per communitatem copulatur,Dei nomine expreſſeris. Itaque nomen quidem ingeniti, & conſtandi ratio ſunt inter ſe alterum alterius indicia. Dei autem nomen eſſentiam declarat. Vt enim Adamus etſi generatus non eſt, tamen cum ijs qui ab eo generati ſunt eadem eſſentia ad communionẽ cõiungitur: ſic nulla ratio communitatem Patris cum Filio ac Spiritu etiã ſi ingenitus Pater ſit,diuellere vllo modo poterit.Non igitur ingeniti,geniti,& profecti nomina eſſentiam declarant,ſed hypoſtaſes.Poſſunt enim nobis ſatis perſonas diſtinguere,&Patris,Filiíq; ac Spiritus propriè indicare hypoſtaſin.Rurſus cùm geniti nomen quaſi notam quandam audimus, Filij notionem percipimus : rurſúmque ex eius qui proceſsit ſignificatione, propriam Spiritus perſonam diſcimus. Atque hæc quidem ſatis magnam vim habent ad docendum non eandem rem declarare ingeniti,geniti & profecti nomina,ſed vim diſtinguendi hypoſtaſes habere,ad ſignificandam etiam conſtandi rationem.Reſtat autem vt demõſtremus quomodo vna ſit Patris, Filij & Spiritus ſancti eſſentia. Animaduertimus quidem in communi & vſitata eiuſdem eſſentię cõſuetudine ea quæ procreant ineſſe in ijs quæ procreantur:Sed altius res nobis repetenda eſt,ne perpetuitatem curſúmque orationis quæſtio vlla quę incidat,poſsit interrumpere. Ac primùm quidem ea quæ ſunt diuidamus.Inueniemus enim in id quod creatum eſt,& in id quod non creatum,diuidi omnia.Si quid enim eſt in iis quæ ſunt,id vel natura non condita eſt, vel condita:ſed ea

quæ

A quæ condita non eſt, nata eſt ad dominandum,éſtque ab omni vi ac neceſsitate libera. Quæ autem creata eſt,ſeruilis eſt legibúſque Domini paret.Et illa quidem arbitratu ſuo quæ vult facit,& poteſt:hęc autẽ miniſterium ſolum quod ab ipſa diuinitate accepit,tum poteſt,tum explet. Cùm ita ſe habeat diuiſio, diuinis vocibus in medium propoſitis, exquire diligenter & accuratè,vtro in naturarum genere Filium ac Spiritum ponendos doceant.Debent enim Eccleſiæ alumni non rationibus humanis diuina dirigere,ſed ex doctrinæ Spiritus cõſilio & ſententia verba interpretari & exponere:primúſque nos Dauid doceat.Is cum laudem primùm ex
B omni natura quæ condita eſt omnium Deo compoſuiſſet, deinde omnibus quæ in cælo ſunt explicatis, omnes quæ in eo ſunt mentes atque virtutes enumeraſſet,itémq; de terra & iis omnibus quæ in ea ſunt, dixiſſet, nec Filium, nec Spiritũ in hac dãda gloria,vt qui ſcilicet cum diuina natura coniuncti ſint,comprehendit.Si enim eos in earum naturarum quæ conditæ ſunt,numero eſſe intellexiſſet,non eorum tantùm nomina prætæriſſet,quorum quidem primùm ac maximè ex omnibus virtutibus iure ac meritò mentionem facturus fuiſſet.Similíq; modo beatus Paulus diuino igne raptus & inflammatus, cùm ardorem in Deum charitatis declararet,conſtantiámque & firmitatem amoris oſtenderet,ſcripſit his verbis,
C Certus ſum enim quia , nec vita , nec mundus , nec mors , nec angeli, *Rom.8.*
neque virtutes, neque principatus, neque inſtantia,neque futura, neque altitudo , neque profundum, neque creatura alia poterit nos à Dei charitate , quæ eſt in CHRISTO IESV Domino noſtro ſeparare . Cùm enim eodem modo etiam ipſe & mũdum & vitam,& mortem, & angelos,& archangelos,& principatus,& virtutes, & præterea inſtantia & futura ſummáque & infima enumeraſſet,quoniã nihil inuênit,quod naturę quæ condita eſt,relinqueretur, præterea clamoris & teſtimonij impetum perpetuans,alicuius quod hyperbolicum eſſet,addirione, id eſt,cùm aliud quod cõditum eſſet, induxiſſet,abſoluit orationem. An non is qui etiam
D verborum hyberbole,immutabile ſuum Dei deſyderium declaraſſet, ſi in iis quæ creata ſunt Filium & Spiritum eſſe intellexiſſet,eos cum cęteris enumerauiſſet?Ac ex his quidem aliiſque eiuſdem generis intelligendũ eſt, Filium atq; Spiritum cum iis quæ conditæ ſunt naturis non eſſe coniunctos.Poteramus autem nonnulla etiam alia eiuſdem generis & permulta teſtimonia proferre: ſed quoniam eſt ſermo ad Eccleſiæ filios , nobíſque propoſitum eſt paucis dicere, ea quæ dicta ſunt , ſatis multa eſſe arbitror. Reliquum autem eſt,vt Filium & Spiritum diuinæ naturæ eſſe doceamus. Ac primùm quidem id commemorabo , quod eſt oportunum ac firmum maximè. Dominus noſter Ieſus Chriſtus cùm ab inferis mortuíſque excitatus,in cælũ rediturus eſſet ,tum & Gentium docendarũ rationem,& ba-
E ptiſmi diſciplinam Apoſtolis tradidit,his verbis,Eũtes ergo docete omnes *Mat.28.*
Gẽtes,baptizãtes eos in nomine Patris,& Filij & Spiritus ſancti.Corinthiis *2.Cor.13.*
etiam ſcribens beatus Paulus, extrema epiſtola quaſi diſciplina doctrináque obſignata , adiungit hæc, Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Dei

2.Cor.13. charitas, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis . Rurſus in epiſtola ad Epheſios ſcribit his verbis , Ipſo ſummo angulari lapide IESV CHRISTO, in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto . Videtiſne vt ædificium quod Chriſti nomine paratur,docens,quo Chriſti templum efficimur,quemadmodũ ſcriptum eſt,Habitabo in eis & inambulabo,eróque eorum Deus: tres nobis perſonas coniunctè colligit ? Nam ipſo , inquit , ſumno angulari lapide IESV CHRISTO.Et paulò infrà , In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei per Spiritum . Chri ſtum enim Deum & Spiritum , qui vna diuinitate continentur,habitare in nobis reipſa,qui gratia digni iudicamur,hac diſciplina docuit . Id quod etiam ex iis quæ alio loco ait,perſpici poteſt.Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti,ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur,vt det vobis pro maxima gloria ſua,vt vi roboremini per eius Spiritũ in nouum hominẽ,vt Chriſtus habitet.En enim rurſum diuinę habitationis Paulus mẽtionem faciens,Patrem,Filium,Spititúmque ſanctum ſimul oſtẽdit, atque in omni doctrina tres perſonas videtur ſimul & ordine nominare.In poſteriore enim ad Corinthios epiſtola ſcribit his verbis , Deus autem qui nos vobiſcum in Chriſto confirmat , nóſque vnxit & nos ſignauit, dedítque pignus Spiritus in cordibus noſtris.Hìc quoque planè apertéque & Patrem Deum,& Chriſtum Filium,& Spiritum ſanctum docẽdo copulauit.Rurſus ad Galatas,Quoniam autem filij eſtis,miſit Deus Spiritum ſuũ in corda veſtra,clamantem Abba pater:ſimili modo rurſus nobis his verbis cõnexionis Patris,Filij & Spiritus ſancti notitia tradita.Et vide,vt ſummæ connexionis ſigna & indicia ponat.Non enim ſimpliciter omninóque dixit,Miſit Deus Spiritum ſuum,ſed modò ipſum Spiritum Filio cõiungit,modò Patri attribuit,cùm ait,Nos autem non Spiritum huius mũdi accepimus,ſed Spiritum qui ex Deo & Patre eſt:rurſus Filij ipſius Spiritum,veritatis appellat,quoniam ipſe eſt veritas,rurſúſque Patris eſſe docet. Quod enim à Patre proficiſcitur, id etiam omnibus diuina ſcriptura planè intelligentiam mentémque noſtram confirmante,inſeparabilem Patris & Filij Spiritúſque ſancti notitiam complectitur.Quin ne in huius quidem vniuerſitatis opificio Filij ac Spiritus actionem à Patre ſeparatã eſſe diuina nobis oracula tradiderunt. Atque huius rei Dauid tibi ſit doctor, qui ita ait , Et tu ab initio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli , quibus verbis complexus eſt quidem Domini ſignificatione & Filium & Spiritum: ſed tamen propter imperitos diuiſionem diſtinctionémque perſonarum adhibuit,cùm ait,Verbo Domini cæli firmati ſunt,& oris eius Spiritu virtus eorum omnis conſtitit.Hoc etiam ex ſcriptis diuinis intelleximus, Patris poteſtate non eſſe minorem & inferiorem Filium ac Spiritum,quod quomodo habeat,audi ſcripturam,Deus autẽ noſter in cælo,inquit,&in terra quæ voluit,perfecit omnia. Hoc de Patre Dauid loquitur hanc poteſtatẽ oſtendens Filius in eo qui elephantia laborabat

Marginal notes: Eph.2. (beside "Rurſus in epiſtola ad Epheſios"); Eph.3. (beside "ſpici poteſt"); 2.Cor.1. (beside "ſteriore enim ad Corinthios"); Gal.4. (beside "uit.Rurſus ad Galatas"); 1.Cor.2. (beside "iungit,modò Patri"); Pſal.34. (beside "tuarum ſunt cæli"). Section letters A, B, C, D, E in the right margin.

A laborabat,Volo,inquit,Mundare.Hanc etiam beatus Paulus Spiritui ſancto attribuēs,hæc ſcribit,Hæc autem omnia operatur vnus idémque Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.Quòd ſi & in mundi diſciplina, & in baptiſmi doctrina,& prætereà in opificij in ratione,& in vi poteſtatis cōiunctè nobis vnum Patris,Filij,ſanctíque Spiritus nomen proditū eſt:quæ tandem ratio & oratio Filium ac Spiritum diuinæ beatæque naturæ non eſſe docebit?Ac nemo in nos inuadat, quòd cùm alia polliciti ſimus, alia exponamus:ſiquidem cùm eandem eſſentiam Filio & Spiritui conuenire promiſerimus nos eſſe demonſtraturos, quæ Patri attribuatur, argumenta probationéſque ad id docendum depromſimus. Neque enim aliquid aliud connexionis verbum prę ſe fert, niſi eandem Patris, Filij, Spiritúſq; Mat.8. 1.Cor.12.
B ſancti eſſentiam.Atque is quidem qui contradicit, diuiſionem repetitam mihi diligenter conſyderet.Ibi enim inueniet eſſentiæ rationem in copulationis ordine compleri.Nos quidem paulò antè in duo,ea quæ ſunt tribuimus,in naturam quę condita non eſt,& in eam quę eſt cōdita.Et eius quidem quæ non eſt condita, certę notę indicia inter nos eſſe conſtitit, eam eſſe dominam,& ab omni neceſsitate liberam, & prætereà pro poteſtate quæ velit,& facere & poſſe:eam autem quę creata ſit, ſeruilem cōtrà eſſe,& Domini legibus obtemperare, adminiſtrationémque quam à Deo acceperit,ſolâ & poſſe & explere.Hac ita conſtituta diuiſione,& hoc confirmato,inter diuinitatem,quoniam hoc non eſt creatum, ac naturā eam
C quę creata eſt, nihil interiectum eſſe: certè omne quod ab ea natura quę condita eſt differt,non à diuina diſtat. Si ergo pluribus à nobis demonſtratum eſt,à natuta quę condita eſt,differre Filium ac Spiritum,quoniam in nullius eorum quę creata ſunt numero habiti ſunt,& cum Patre vbiq; coniuncti reperiuntur:quid eſt quamobrem non ſummę amentię ſit, eos non in iis naturis quæ conditæ non ſunt,ducere?Alterutrum enim neceſſariò corruet.Debet enim aut is qui eos in iis naturis quæ creatę ſunt,eſſe doceat,ab iis quæ conditæ non ſunt,ſeparare:aut is qui in iis eſſe doceat, quæ conditæ non ſunt,ab iis quæ ſunt conditæ,neceſſariò ſecernere. At-
D qui eos & ab ea quæ condita eſt,ſecretos eſſe apparuit, & cum ea cōiunctos quæ non eſt condita . His autem interiectum eſſe nihil,conceſſum eſt . Relinquitur ergo , eos eius eſſentiæ eſſe participes,cui ꝙ etiam vbiq; coniuncti ſunt . Si enim id quod dictum eſt(rectè enim repetitur perfectioris demonſtrationis explicationíſque gratia) & in mundi à Chriſto præſcripta inſtitutione,& in Spiritus ſancti doctrina, & prætereà in diuina diſciplina,& inmundi molitione,atque in poteſtatis authoritate,ſimilia eadémq; de Patre,de Filio,& de Spiritu ſancto tradita ſunt: quis adeò imperitus eſt, vt de eorum inter ipſos naturæ eſſentiæque communitate
E ambigat?Quamobrem Deum vnum par eſt nos profiteri,qui in Patre,ac Filio & Spiritu ſancto intelligatur:ita tamē vt hoc quidē ipſo,quòd Pater, ac Filius & Spiritus ſanctus ſunt,vnius diuinitatis perſonas cognoſcamus: qua autem ex parte Deus ſunt,id quòd commune eſt perſonarum, in natura & eſſentia intelligamus . Nam & Vnitas in Trinitate , & Trini-

tas in Vnitate intelligitur. Quod quomodo fiat, nec quærere alios velim, nec mihi ipſe perſuadere poſſum, me verba quæ de rebus abſtruſis fiunt, linguæ lutea impuráque caruncula audere & profiteri. Etſi enim mens in nobis integra puráque inſidet, qua plerumque ea quę naturam noſtram ſuperant, ratione complectimur, tamen carnis contagione ingraueſcens, in perſpicua claráq; maiorum rerum cognitione debilitatur: quippe cùm terrenum tabernaculum mentem multa cogitãtem curantémque deprimat. Nulla igitur ratione nos qui homines ſumus, primam illam beatámque naturam & eſſentiam conſequi attingeréque poſſumus. Sed quid dico diuinam eſſentiam? quin ne ea quidem quæ in ea obſcura quadam & latenti ratione aguntur. Nihil enim diuinum eſt notum mortalibus, quemadmodum ſapiens quidam Græcorum dixit: quod quidem ego verbum vt verum approbo. Cùm enim Paulum vas illud electionis, eum qui in tertium cælum euectus ſit, & verba arcana audierit, quæ nefas ſit linguis hominum proferre, qui in ſe loquentem habens eum qui ipſe verba ſuppeditat & largitur, cognitionis ac ſcientiæ particulam quandam habere ſe audierim profitentem his verbis, Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum: Et rurſus, Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus: quonam modo perfectam abſolutámque rerũ diuinarum cognitionem & ſcientiam in iis qui homines ſunt, ineſſe credã? Si enim ij qui ad Pauli modum menſurámque peruenerunt, tenui & obſcura quadam eius particula præditi ſunt (quod enim in ſpeculo, & in ęnigmate cognoſcitur, tenue intelligitur) quis adeò amens eſt prę audacia, vt perfectã rerum diuinarum cognitionem in ſe ineſſe velit profiteri? Sed ne longiùs abeamus, nos quoque qui rerum abſtruſarum viam inexplicabilem ſcimus, verba Dauidis omnium Deo pronunciabimus, Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confirmata eſt, nec potero ad eam. Sed hæc quidem & pium eſt profiteri, & ſentire maioris pietatis atque ſanctitatis. Diuinis enim rebus concedere pij hominis eſt atque prudentis. Non igitur quatenus ad tutã diuinarũ rerum inueſtigationẽ pertinẽt, ſed quantum ad piam ſanctámq; religionẽ ferunt, pro dignitate intelligimus. Neq; enim quia omnino cõprehendi non poteſt Deus, idcirco de eo planè negligenter quætendum eſt, conſumendúmque omne vitæ tempus in ocio: ſed vnicuique pro eo captu qui ei à Domino conceſſus eſt, ſtudioſè ac diligenter exquirenda comparandáque eſt ſcientia, ita tamen vt eum certò comprehendi non poſſe nobis perſuadeamus, quamdiu autem contemplando cognoſcendóque progredimur, noſmetipſos ei coniungamus. Sic igitur Filium à Patre generatum & ortum eſſe intelligimus, vt lux à luce prodiit. Poteſt enim ſimilitudo & cõmunem æternitatẽ, & eſſentiæ, vt ita dicam, idẽtitatem, & ortum impatibilem oſtẽdere. Quatenus enim manauit, vnà cum eo quod effudit, ſine tempore cõſtitit. Quo enim interiecto tempore luminis interrumpatur effuſio? Quatenus autem lux ex luce prodiit, lucis à qua etiã orta eſt, rationem declarabit. Qua verò ex parte lux eſt, & orta eſt, impatibilis ortus erit. Neque enim diuiſione, aut fluxione, aut interuallo

Marginalia: A (beside line 1); B (beside "& latenti ratione aguntur"); 1.Co.13. and Ibid. (beside "re ſe audierim" / "tem cognoſcam"); C (beside "uinarum cognitionem"); Pſal.138. (beside "cabilem ſcimus"); D (beside "igitur quatenus"); E (beside "prodiit. Poteſt").

A interuallo luminis effuſio fit, ſed ex ipſa eſſentia ſine perpeſsione progre-
ditur.Eandem etiam cognitionẽ & ſciẽtiam Spiritus,ſancti tenemus.Nam
quẽadmodum Filius ex Patre,ſic Spiritus,niſi quòd modo cõſtandi & ſta-
tus differet.Ille enim lumen ex lumine generãdi via & ratione prodiit,hic
autẽ lumen quidem à lumine,non tamẽ generandi,ſed procedendi ratio-
ne profectus eſt.Sic æternitatis eiuſdem eſt cuius Pater,ſic eiuſdem natu-
ræ & eſſentiæ,ſic ſine perpeſsione illinc proceſsit: ſic in Trinitate Vnita-
tem,& in Vnitate Trinitatem intelligimus.Nos qui hæc diſtinximus , &
captum modúmque hunc cognitionis à Domino accepimus: filiis Eccle-
B ſiæ id quod cõprehenſum eſt,exponimus,hortantes vt ita ſentiant,quoad
perfectiorẽ cognitionis lucem acceperint: quãdoquidem prudentis eſt,ea
quę à nobis expoſita ſunt,diligẽter ac ſtudioſè ſequi.Neque enim aliquid
cõptum, aut magnificum, aut quod iactationis plenã demonſtrationẽ ha-
beat, ſenſimus,ſed eo magis quod pium eſt,diuináque cognitione dignũ:
pro virili collecto, diuinitatis vnius in perfectis perſonis tribus notitiã &
ſcientiam explicauimus . Sic etiã de beata diuináque Trinitate ſentientes,
ad Verbi gratiã ex diſpẽſatione verbo & ſermone accedamus.Eſt enim etiã
diſpẽſationis ratio inexplicabilis.Ratione autẽ prima quoad eius fieri po-
terit,rurſum nobis hæc quoque exquirẽda eſt.Cùm Verbũ ea quæ effinxe-
C rat,quaſi refingenda intellexiſſet,ſuppliciiq; Adami, quo propter pręcepti
violationẽ dignus fuit,debitum reſtituẽdum:tum deniq; non diſcedens è
cælis ad nos deſcẽdit.Neque enim ille corporis deſcẽſus fuit,ſed diuinę a-
ctionis cõſilium & voluntas.Media autem & quaſi ſequeſtri virgine,quæ
ex Dauide genus ducebat, promiſsis adductũ quæ ei fecerat,ad diſpenſa-
tionis vtilitatẽ vſum,eiúſq; in alium ingreſſum,quaſi diuinum quoddã ſe-
men,ſibi tẽplum perfectum hominẽ finxit,cùm partem quandã illius na-
turę accepiſſet,& in templi effictionem eſſentiam effeciſſet.In ipſum autẽ
ingreſſum ſumma cõiunctione Dei Filius vtraque natura ſumpta prodiit.
Ex illo enim Filius,& Deus & homo egreſſus eſt.Sic diſpẽſationẽ noſtram
D expleuit,quòd Adamus peccato ſuo morti genus hominũ ſubiecerat,to-
támque naturam debito obnoxiam fecerat.Filius qui Deus eſſet & homo,
Adami peccatum deleuit:& quatenus homo erat,vitam ab omni crimine
reprehẽſionéq; remotã traduxit, mortémq; vltro ac ſponte pertulit,ita ta-
men vt integerrima quidẽ vita quã egit,peccatũ obliteraret,& morte quæ
ei non debebatur,debitum deleret:hoc autẽ ipſo quòd Deus erat,id quod
diſſolutũ mortuúmq; erat,reſtitueret,& mortem funditus euerteret.Vnus
igitur eſt Filius, & qui mortuus eſt, & qui id quod mortuum erat,excita-
uit.Vt enim homo,mortuus eſt:vt Deus,eſt excitatus. Cùm ergo de vno
Filio contrarias voces audies,ea quæ dicuntur naturis tribue:ac ſi magnũ
quiddam & diuinum,diuinæ id naturę tribuito:ſi quid paruum & huma-
E num, humanæ adſcribito.Sic enim & verborũ diſcrepantiam vitabis,cùm
ſua vtraque natura recipiet:& Filium vnum omnia ſecula anteceſsiſſe , &
nouum ex ſcripruris fatebere. Nec verò eſt,quòd à me quiſquam vnionis
modum & rationem requirat.Non enim me pudebit ignorationem pro-

fiteri:contráque magis gloriabor,quòd abſtruſas res credam,eorúmq; do- A
ctor & interpres ſim,quorum & ratio & intelligentia notitiam debilitet.
Nihil ergo euidens & clarum vel à me,vel ab alio de his rebus velis diſ-
cere. Quòd ſi de hac re quantum mens noſtra capit,vis cognoſcere,filiis
quidem Eccleſię non grauabor dicere: tantùm autem approbatis iis quę
dicuntur,vt ij debent,qui aggrediuntur ad exponendam cæleſtem potē-
tiam & adiumentum, ad eam notitiam quam præſtare poſſum, venio.
Nonnulli quidem coniunctionem & copulationem vt animi cum cor-
pore cùm intellexiſſent & cogitaſſent, ſic etiā expoſuerunt:& aptum illi B
quidem, accommodatúmque exemplum etſi minùs omni ex parte, at
certè ex aliqua attulerunt.Vt enim vnus homo eſt, ſed in ſe duas diſsi-
miles naturas continet,& alia quidem cogitat, alia autem quod cogita-
tum eſt exequitur & perficit,veluti exempli cauſa,animo cogitat & per-
pendit nauis ſtructuram,manibus quod animo conceptum eſt ad exitum
perducit:ita Filius qui vnus eſt & duplex natura, alia quidem ea quę di-
uina ſunt,efficit:alia ea quæ humilia abiectáque ſunt,accipit. Hoc enim
ipſo quòd Deus eſt,miracula edit:quòd autem ex virgine natus eſt & ho-
mo eſt,crucem,mortē,ſimiliáque ſponte naturaliter pertulit.Si quis huc-
uſque ea quæ exēpli ſunt,accipiat,rectè habet ſimilitudo:ſin totum exem- C
plum cum toto conferat,diſsimilitudo exiſtet. Homo enim etſi duas in
ſe naturas declarat,non tamen duplex eſt natura, ſed ex duabus conſtat.
Vt enim corpus conflatur ex igne,aëre,aqua & terra, ſed non iam cor-
pus ignem eſſe dixeris,nec aëra,nec quicquam aliorum, (neque enim idē
eſt quod ea ex quibus conſtat,quandoquidem diuerſa etiam ratio eſt &
eius quod conſtat,& eorum quæ conflata ſunt)ſic homo quāquam ex a-
nimo & corpore conſtat,tamen ab iis ex quibus conſtat,diuerſus eſt.Sic
autem id quod dico planiùs intelliges.Ex diſsimili diuerſáque materia do-
mum ædificamus, ſed nemo dicat idem eſſe domum & ea ex quibus do- D
mus extructa eſt.Neque enim lapides,ligna,cęteráque planè atque omni-
no ſunt domus,(ſi enim ita eſſet,ante ſtructuram,diuiſam ſecretámq; ma-
teriem domum appellare liceret) ſed talis rerum inter ipſas cōpoſitio do-
mum nobis ſolita eſt abſoluere:quandoquidem euerſa domo,manet qui-
dem ſimili modo materies,quę propriam rationē retinent:deſtructam au-
tem domum dicimus,quam talis materiarum coniunctio perfecerat. Si-
milis eſt hominis ratio. Quanquàm enim ex animo & corpore con-
ſtat,non tamen idem eſt quod ea ex quibus conſtat,ſed aliud,vt ſit homo
ex ipſa animi cum corpore coniunctione tertium aliud effectum. Idque
ex eo perſpici licet,quòd cùm horum facta eſt diremptio,corpus etiā hoc E
modo cum propria ſuáque ratione manet: tribus enim modis dirimi po-
teſt,ſi & mortuū ſit,& animus ſimili modo rationis ſit particeps,& ſi diſ-
iunctum ſit:homo autem interiit,quem vtriuſque partis abſoluerat cōiun-
ctio.At Chriſtus non ex diuinitate & humanitate perfectus eſt Chriſtus,
cùm non alius ſit quàm duo hæc,ſed & Deus & homo vtrūq; ſit.& Deus
quidē intelligitur ex miraculorū actione, homo autē oſtēditur ex eo quòd

ſimilia

A ſimilia eadémq; accipit & quaſi patitur quæ natura.aliter autẽ etiã animus multis corporis affectionibus anticipatur & occupatur,ac ſæpe antè,quàm corpus,afficitur. Affici verò cõtinenter ſtatim videtur,dũ plerumq; & corporis ſectionem metuit,& ante corporis affectionem immutatur, & poſt ſectionem inciſionémque non minùs ea quæ dolorem afferunt cum affectione accipit. Quod quidem in Chriſti diuinitate nemo eorum qui recta veráque ſentire ſoliti ſunt, niſi penitus mente captus ſit,auſit aut dicere,aut approbare.Quamobrem exemplum ſumptum ex homine aliqua ex parte approbandum eſt,quadam autem ex parte repudiãdum.Nos au-
B tem olim quidem huius rei ac veritatis euidentem cognitionem confeſsi ſumus & conceſsimus, ſed quam minimè animo & ratione complecteremur:nunc verò etiam non minùs in præclara illa ſententia ſumus,profitentes cognitionem pro captu & modo qui nobis conceſſus eſt,& ad euidentem rationem quæ magis piis digna ſit,exemplum hoc & ſimilitudinem reuocare ſtudemus,coniunctionémque duarum naturarum nõ exiguæ cuidam etiam paruarum rerum ſimilitudini, ſed magis, ei generationi quæ digna ſit ea quę à Patre ducitur,volumus comparare. Quoniam enim Verbum lux in mundum venit,eáque ex luce quę cauſam nõ habet, prodiit: lucem eſſe volo etiam id quod exemplum, & ſimilitudo vnio-
C nis affertur.Intelligatur ergo Verbum lux eſſe ea quę prima generata eſt, quæq; prima Dei voce per ipſum Verbũ orta eſt: corpus autem ſolis,humanum corpus, quî cum Verbum ratione quadã quæ exprimi nõ poteſt, cõiunctum fuit.Nec mihi ſolem lucẽ aliam,quàm quę prima generata eſt, eſſe exiſtimato. Neq; enim quaſi prima abſit,ad vniuerſi illuſtrationẽ ſol generatus eſt,qui eam quę deficit ſuppleret, pręſertim cùm non eiuſmodi ſit artifex,vt nec eã quę abſoluta eſſet, prouiderit,nec ſplendorẽ effecerit, ad eum vſum,quẽ ex ſe ipſa pręberet.Vna igitur lux eſt quæ prima eſt procreata,ſol autẽ corpus eſt,quod ei eſt paratũ,in quo lux ſuſpenſa in omnes
D partes principio diffuſa vehitur.Hęc etiã horarum interdiu curſum corpore conficit.Si enim colligata non eſſet cum corpore,ſed tota toto aëre circunfuſa eſſet,nobis nec diei ſpacia definiſſet,nec motum æquabilem definitúmque & eũ qui effecit,præ ſe tuliſſet. Quòd ſi mihi obiicias,diem & noctẽ etiã ante ſolis ortũ fuiſſe,primùm quidẽ iſto pacto fateberis,ſatis eſſe lucis naturã ad illuſtranda omnia,deinde autem deinceps quæ ortus ſolis cauſa fuerit,requires.Neq; enim aliã,niſi quæ modo à nobis allata eſt, inuenies.Quondam enim vniuerſa lux toto aëre circũfuſa,nec motum curſúmq; æquabilẽ conficiebat,nec diurna ſpacia definiebat,ſed contracta & collecta,nocti tranſitum cõcedebat.Nihil ergo verius eſt, quàm eſſe aliud
E lucem,aliud ſolis corpus,quod illam accepit.Cùm lux ad corpus ſolis hãc rationem habeat, rationem deinceps diligenter conſyderate. Vt enim poſteà quàm lux illa primigenia cum ſolis corpore copulata eſt, nemo ea alterum ab altero diuidere ac ſeparare poteſt:nec alterum ſolem propriè, alterum lucem diſtinctè ſeparatímque vocare, ſed ſol vnus lux dicitur: ſic in vera luce & ſancto illo corpore nemo poſt coniunctionem, &

vt ita dicam, vnionē illam Filiū, veluti diuinum Verbum ſeparatim, filium A
autem hominem vocabit, ſed vnum & eundem vtrumque intelliget, quēadmodum lucem vnam, vnúmque ſolem & lucem quæ recepta eſt, & corpus, quod accepit. Rurſus quemadmodum lux quidem vna eſt, & ſol vnus, duę autem naturæ: illa lucis, hęc ſolis corporis: ſic etiam hic vnus eſt filius, Dominus CHRISTVS & vnigenius, ſed naturæ duæ, vna quæ ſupra nos eſt, noſtra altera. Rurſum vt in luce lux eſt quam re ipſa nemo à corpore quod illā recipit, ſecernere poteſt, ratione autem & cogitatione cùm ſeparauerit, naturam cognoſcet, cuius propria eſt actio: ſic in vno Dei filio omnem quidem actionem ab vna filij proprietate nemo ſe- B
iungere poteſt, naturæ autem cuius ſit propriè id quod generatur, ratione & cogitatione intelliget. Sic nos cùm diuinæ coniunctionis exemplum ſimilitudinémque attuliſſemus, ad magis piam intelligentiam confugimus, dum & ad rem veritatémque ipſam, etſi non planè, peruenimus, & ſimulachrum ſimilitudinémque qua contenti ſumus ad piam quæſtionem, collegimus. Horum ſi quid tibi ad verum propiùs accedere videatur, eum qui captum modúmque cognitionis dedit, laudibus ornato. Si quid verò magis pium ab alio didiceris, eius rurſum qui conceſsit, lauda benignitatem. Ipſe enim cùm olim eſſet, in alio vim ſuā declarauit. Quoniā C
igitur ſatis pro virili parte rectam verámq; profeſsionē expoſuimus, ſalute Eccleſiæ filiis dicta, actíſque ei qui verba ſuppeditauit, gratiis, in pace & ocio, oratione abſoluta, deinceps viuemus. At enim nōnullos video qui orationem diſputationémque renouant & repetunt, nouæque diſputationis curriculum cōmonſtrant, cogúntque nos rurſus currere, ac fortaſsis periculum faciunt, num duplici curſu defatigati ſimus. Is quidem fontē imitatur, qui quo diutiùs ac ſępius exhauritur, riuos lympidiores effundit, ſed totus ad curſum reuerſus eſt, nec ſcit quantū ab oſtiis deflexerit, indicíſq; cōſenſum expectat. Tibi autem quæſtionem volo exponere. Paratus ſum enim impetum facere perfidiámque deiicere, ac linguas quæ cum Deo D
bellant, obſtruere, & explicare quid de rebus diuinis quærendum ſit, quid credendum, & curſus victor ex lege ac more prædicari. Quónam modo, inquit, Verbum vbique per ſe & per eſſentiam eſt, quóque modo in ſuo templo? Si enim vt in omnibus eſt, ſic in illo, nihil amplius quàm cætera templum continebit. Vbi etiam illud ponemus, In quo omnis diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitat? Quòd ſi quis in hoc tēplo amplius maiúſque aliquid eſſe det: non in omnibus ineſt per eſſentiam, quod quidem Dei eſt proprium. Aperta eſt reprehenſio, de Deo illud Quomodo, quærere. Quo enim modo cæli eſt effector, quomodo terræ, qomodo maris, aëris, & eorum quæ oriuntur è terra, ac tui ipſius qui omnia de Deo ſubtiliter quæris? Planè reſpondebis, quòd vi præſtantiæ omnia in lu- E
cem protulerit. Num vis Dei in iis quæ fiebant, per accidens, an per eſſentiam inerat? Si per accidens, profectò vt quæ eſſet etiā antequàm fierent, quandoquidem accidens non per ſe conſtat, ſed in quibuſdam quę ſubiiciuntur, ineſt. Quod ſi ridiculum eſt, relinquitur per ſe, & per eſſentiam ineſſe

Coloſ. 2.

A ineſſe vi Dei in rebus omnibus. Num igitur quoniam in omnibus quæ
fiebant, vis inerat, nihil amplius habuit templum in quo inſedit ?. Am-
bigua & difficilis eſt hæc ratio, ambigua etiam illa eſt & inuentu diffici-
lis, & vtriuſque fides eſt explicatio. Animaduertiſti vt ratio facto impetu
perfidiam infidelitatémque deiecit & euertit. Vide obſtructas linguas quę
cum Deo bellãt. Reſpondete nobis, qui Chriſtianorum religionẽ vos prę-
dicare fingitis: qui duarũ naturarum tollendarũ cauſa huiuſmodi & quæ-
ritis, & proponitis: qui vt temperatio & confuſio, corporíſque in diuini-
tatem mutatio obtineatur, has quæſtiones tractatis: qui interdum in car-
nem Verbum verſum, interdum contrà, carnis eſſentiam in Verbum mu-
B tatam eſſe aſſeritis, atque prauis iſtis mentis veſtræ opinionibus ducti, ni-
hil omnino, vt perſpicuum eſt, ſapitis: dicite inquam, nobis, quid ita Verbũ
caro factum, cęlos non reliquerit? Eum qui Deus manſit ita factũ eſſe pla-
nè reſpõdebitis. Nobis igitur rurſus reſpondete, quomodo manẽs Deus fa-
ctũ eſt. Si manſit Verbũ quod erat, quî factũ eſt quod nõ erat? Sin factũ eſt
quod nõ erat, quî quod erat, mãſit? Neſcis explicationẽ? ignora etiã rationẽ
cõiunctionis. An ipſum factũ eſſe cùm mãſiſſet, credis? Crede etiã eſſe vbi-
que Verbum per eſſentiam, & eximio quodam modo in templo ſuo in-
C eſſe. Rurſum rogabimus, quónam modo poſt coniunctionẽ corpus Deus
factum ſit. An in diuinitatis eſſentiam verſum, corpus hominis manſerit,
cùm interea ob coniunctionem illam ab interitu liberum & immorta-
le permaneret? At ſi hoc verum eſt, corpus manet corpus, ſiquidẽ non cor-
pus eſt Deus, ſed cum eo diuina dignitas, non natura cõmunicata eſt, Ver-
bi benignitate. Si verò Verbũ coniũctione illa corpus in naturam ſuã ver-
tit, rurſus nobis quęrendũ erit, quomodo corpus verſum ſit in Verbi natu-
rã & eſſentiam: num in Verbi eſſentiã mutatum eſſentiæ acceſsionẽ attu-
lit? ergo anteà aliquid ei deerat, quæ quidem acceſsionẽ acceperit. An ni-
D hil ab eo aſſumpſit? ergo id quod mutatum eſt, nihil erit. Quî porrò nihi-
lum mutatum eſt in diuinam eſſentiam? Sed non in ſuam, inquient, natu-
ram & eſſentiã Verbũ corpus mutauit, ſed in diuinã. Rurſus hoc loco no-
bis reſpõdeant, num diuinã vt diuerſam à ſua, an eandẽ? Si enim eadẽ eſt,
quę ipſius, duas in Verbo naturas diuinas prędicabimus, vna quidem qua
ex Patre natus habuit, alterã qua etiam ipſum corpus ad eam fecit. Si verò κατ' αὐτὴν
diuerſam à ſua, nec diuinã, creatam eam planè fatebuntur. Nihil enim in-
ter diuinitatẽ & rem quę cõdita eſt intercedit. Et quid neceſſaria fuit cor-
pori mutatio, ſiquidẽ rurſus in eſſentiã quæ condita eſt vertebatur? Æſtuas
dubitationibus fortaſſe, veteríſque ne quid eorum quę obiecta ſunt, fi-
E dei noſtræ rationem diſſoluat. Sed cùm ego prætereà quærens hæſito,
tum myſterij Chriſtianorum miraculum cum clamore profero, men-
tem, rationem, comprehenſionémque naturæ creatæ noſtra ſuperare.
Cùm autem tibi quoque ſimilia quęrenti dubitatio quædam inciderit, op-
pone iis quæ rogantur, paratam expeditámque explicationem, fidem:
cogitans, quandoquidem DEVS eſt, etiam ſi aliquid eorum quæ dicun-
tur, ignoretur, aut propter naturæ præſtantiam, aut propter diſpenſationis

rationem,tamen ex eo nihil mali & incommodi iis qui ignorāt cōparari. A Quomodo autem omnino temere,& audaciùs aggredi ad ea quæ diuina ſunt,corrigenda,minimè dubitatis?an non diuina verba audiſtis,quæ veſtros ab huiuſmodi conatibus arcētes, propoſuerūt nobis luti & figuli ſimilitudinē,qua docent curioſos nos eſſe nō oportere,vel rerū diuinarum æſtimatores ac iudices,ſed diuino conſilio voluntatíque concedere,vt lutum figulo ſolet?Tandem igitur aliquando veremini, prudentíque ſententia cogitationes veſtras ſedate, dubitationéſque, quæ in vobis ſunt, fides vna explicet,& ad diuina verba,quemadmodum ſcriptū eſt, contremiſcite,vt requiete diuina digni effecti, beata illa verba ab omniū Deo audiatis,Quem reſpiciam,niſi humilem & quietum,& cum tremore verba mea exaudientem? His circunſeptis obſtructíſque linguis eorum,qui Deo aduerſantur,ad explicationem & differentiā properat oratio.Vos qui Eccleſiæ filij eſtis, quæſtionémque piè ponitis,& de iis quæ vobis dubitationem afferunt,non tentādi ſtudio,ſed dicēdi quæſtiones proponitis, hoc modo mihi mentē animúmque præparate.Diuinæ quidem diſciplinæ forma in multas tribuitur partes,ſed cōtrahitur,vt ſummatim dicā, tū in præceptorum inſtitutionē atque cuſtodiam,tum in diuinā cognitionem & venerationē.Ac religionis quidē ſtudioſi & amatores dabunt operā,ne præceptorum cuſtodiā & inſtitutionē vlla ex parte ignorent,atq; in primis diuinā C venerationē:diuinarum autem rerum cognitionem inueſtigare quidē pro virili parte ſtudebunt,ſi autē non aſſequantur,venerentur eam vt quę cōprehendi nō poſſit,ne iis quę fidei ſunt à nobis quicquā loci relinquatur. Quę quoniā ita tenemus & ſcimus, alia quærēda ſunt,alia credenda.Oratione igitur ad curſus certamina directa,victricē eam demonſtrare ſtudeamus.Deſcendat deinceps in certamen oratio.Profitemur nos ignorare euidentē perfectámque rerum humanarum ſcientiā,quandoquidem in hoc magna eſt pars victoriæ.Quantū autē humanæ naturæ eam aſſequi licet, tantum re exquiſita, accommodatè ad religionē id quod quæritur explicabo.Quonāmodo,inquit, Verbum & in templo ſuo ineſt per ſe ac per D eſſentiam,& in iis omnibus quæ ſunt ſimiliter?& quid amplius quàm omnia,templum continebit?Audiamus ergo verbum illud, Qui eſt in ſinu Patris,ſcilicet,per eſſentiam,is ſine partium diſtractione & diuiſione eſt in omnibus:nec ita eum in Patre eſſe vt in cæteris dicimus,non quòd eſſentia cùm eſt in cæteris contrahatur,ſed quòd captus eorum qui recipiunt, in diuina accipienda eſſentia deficiat.Sic verbum cùm in templo ſuo inſeparabile eſſe dicimus,& quaſi plenitudinem perfectionémque diuinitatis habitare profitemur:tum & ipſum in omnibus ineſſe per eſſentiam dicimus,& nō ſimili modo,propterea quòd corpus inquinatū radios diuinitatis non capiat . Tu quod dictum eſt, ex ſimili intellige.Neque enim E eius quod quæritur magnitudinem Eccleſiæ filiis piè exponere verebor. Communis ſol nobis quotidie omnibus proponitur, nec huic minùs,illi magis collucet,ſed communem vim actionémque ſuam omnibus ex ęquo mittit.Verùm ſi quis valentes oculos habeat , eius quidem radiorum

plus

A plus accipit,nõ quòd ſol magis ad eũ quàm ad cęteros accedat,ſed propter vim oculorum propriam. Qui autem imbecillo eſt aſpectu,ne lucis quidem ipſius ſplendorem intueri poterit propter oculorum imbecillitatẽ. Sic mihi ſolem iuſtitiæ fac intelligas & cogites in omnibus quidem per eſſentiã ex ęquo cùm Deus ſit,ineſſe,ſed nos omnes quaſi infirmos,quaſique lippientes peccatorum ſordibus oculos habeamus,ad lucis aduentum & conſpectum hebeſcere: eius verò templum oculum eſſe integerrimum ac mundiſsimum,& qui totius lucis ſplendorem capiat,cùm a Spiritu ſancto ſit compoſitum,& ab omni peccato ſolutum ac liberum.Vt enim ſol cùm ex æquo per actionem ad omnes perueniat, non tamen æquè ab o-
B mnibus capitur: ſic Verbum licet per eſſentiam ſit in omnibus,non tamẽ æquè in aliis eſt,ac in templo ſuo.Vide vt curſu confecto , victrix extitit oratio:deinceps coronam geſtet,ſe oſtentet, victoriæ coronis ornetur , & de hoſtibus qui victi ſunt,agat triumphum.Nos autem qui Chriſtũ antecedimus,epinicium canamus,clamantes,Oratio,præclarum certamen certaſti , curſum perfeciſti , fidem ſeruaſti : deinceps tibi corona iuſtitiæ reſeruatur : aut potius eum qui victoriam dedit laudemus , Verbum diuinum maximè , lucem veram,quæ omnem hominem venientem in hunc
C mundum illuminat , quo viuimus , mouemur , & ſumus: per quod facta ſunt omnia , cuius præſidio & benignitate verborum verſutias & tergiuerſationes diluimus : adiutorem , ducem , beneficum , cui continenter hoſtiam laudis immolamus , atque vt Deo ſynceras preces offerimus, bonóſque actionum odores immolamus , dum ipſum ad nos conuertimus, dum ipſum ſpiramus, dum ipſum cogitamus,ad ipſum adhæreſcimus,ipſum in omnibus laudamus,beatam ſpem,regni cælorum largitorem.

D SANCTI IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS AD ZENAM ET SERENVM

Epiſtola, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

E DE abſurda quorundam inſtitutione,quæ ad quæſtum refertur, inutiliſque doctrina, quam traditã ab hominibus hæreditario iure acceperunt ij qui eadem quæ Phariſæi & ſentiunt & faciunt, in epiſtola quam ad Papam miſi, omni cum diligentia explicaui.Sed ne paulò ad accuſandum propenſior paratiórque videar,atque vt occaſiones ſalutares iis qui ſecũ pręclarè agi volunt,præbeam,cùm in ea epiſtola quã ad Principes ſcripſi,ſanè diligẽter,vt ego exiſtimo,rem ipſam tractaſſem, vobis etiam non dubitaui ſcribere,vt pueriles quorundam viuendi rationes cognoſceretis.Cognitio enim generis viuendi eorum,qui rationẽ du-

cem in vita non ſequuntur ,prudentes eos efficit,qui diligentiam curámque adhibent , ne in ſimilia incidant . Igitur vobiſcum quidem præclarè agitur,ſi ex iis quæ in prõptu ſunt viri probi euadatis: ſed quoniam multis variiſque ſeculi huius quaſi fluctibus animi noſtri ſenſa conturbantur & agitantur,dum in mundum diſtrahimur, hinc conſeruator cùm ex eo ſe eſſe negat , nos quoque ab illius commercio & quaſi contagione auocauit, dans nobis conſiliũ,vt & veritatem amemus,& ſuſcepta virtutis cæleſtis perfectione, quicquid ſeculorum pater velit ac iubeat, perficiamus, & à diſſenſione atque obtrectatione quæ mundum attingit, procul abſimus. Diſcordat enim ſecum omnis qui iraſcitur, animúſque qui bellũ ac B inimicitias præ ſe fert & voluit,in ſe ipſe ſolitus eſt incurrere . Iam enim quoſdam ſcimus, cùm ignorarent,quibus rebus proximorum, qui cauſas irarum eis dederãt,commoto animo fuiſſent,ſemetipſos ediſſe,& doloribus eſſe confectos.Nihil ergo in eum qui aduerſari conatur, dicendũ eſt, quòd eius animum offendat:ſed tranquillo animo & quieto,hoc tantùm, Non tantum vires tuæ poterunt,vt mihi animum moueas. Prouidendum eſt etiã nobis vt & pacato ſimus animo, redeamúſq; in gratiã cũ ijs qui à nobis diſsident:& ne animo parentes dicamus interdum,Eo ſum ingenio, vt non poſsum non iraſci,& animo commoueri:interdum etiam nos à ſocietate orationis ſecedamus.Nam & more ſuo etiã viuere,eius eſt qui nõdum in Chriſti fidem ſe recepit: & obtrectare propter inuidiam,eius eſt, C qui procul abeſt à veritate . Quiuis ergo nobis obiurgandus eſt ſine vlla iniuriarum recordatione , ſic vt obiurgationem non quæſiſſe videamur. Nonnullos enim ſcimus,dum progreſſum in iis quæ ad carnem pertinẽt, faciunt, trahere ad iræ ſuæ defenſionem euangelium, velléque cõſeruatoris noſtri diſciplinam & verba,procliuitati ſuæ quam probant, accommodare.Quibus ſi hoc eueniſſet,vt aliquos gehennæ poſſent tradere, id eſt, perdere,totus etiam mundus iam ab eis cõſumptus eſſet,quanquàm quãtum in ipſis eſt,& condemnant,& ignis fornaces patefaciunt. Quocirca eos ne imitemur. Vobis præterea cenſeo videnda ea quæ videnda ſunt, D corrigendúmque proximum vt decet:ac primùm quidem meditatus cùm ſępe quis erit & cogitarit,id quod ſuſpicionem afferat,ne quid fortè falſò putet & ſentiat:deinde ſi bene animo affectus eſſe videatur,tum eum admonere tantiſper dum aut conſiliis pareat, aut certè ſe ipſum propenſum præbeat.Nobis autem magnã animi tranquillitatem hoc afferre poteſt, ſi neque nos primas obtinere ſtudebimus, neque offendemur, ſi alij eò velint peruenire,ſed iis qui ſe ipſi inſinuant & approbant,ea cõcedamus,ad quæ conſeruator ſuos non inuitauit. Si quis autem clamet,reticere:ſi quis alterum ſe viciſſe putet, eum irridere debemus,non falſa gloria ducti, eorum qui adſunt & audiunt cauſa , verbis paribus retorquendis eandem E etiam verborum quaſi pugnam viribus receptis reſtituere. Hoc enim cogitet is qui malè dicit, Ego etiam iniuriam feci & viciſsim dicere nolui, aut non auſus ſum : ſed mihi præſtò fuit quòd mihi recti conſcius eſſem , lenis ſermo,vel taciturnitas.Et qui iniuriam facere videtur,ne elato

A animo ductus fratri ſuadere grauerit: & qui obiurgatur, ne ſuccenſeat, ſed propinquum conſoletur. Obuiàm enim prodire inter ſe debent duo qui reduci in gratiã cupiunt: quippe cùm patrẽ filio quem pœnitentia ſubierat, obuiàm prodiiſſe conſtet, nec expectaſſe, ſed ſe ipſum contrà ad illius pœnitentiã cõtuliſſe. Benignitas enim quã fides parit, vtrumque in gratiã etiam reducit: atque is quidẽ qui iniuriam intulit, amico propter peccatum fidem facit: qui autem accepit iniuriam, eum quoque pœnitebit, ſe amico ſuccenſuiſſe. Ergo ab omni appetitu cupiditatéque carnali vacuus Chriſtianus eſſe debet Latrocinatur enim qui nõ eſt eiuſmodi, Deíq; templum diripit, atque, vt audaciùs dicamus, ipſe ex ſe & à ſe Deum eiicit: idémque & conſcientia ſcelerum de ſpe ſalutis decidit, & alieniore animo eſt in eos qui ſe admonent, & Adamo pro propugnaculo vtitur, & Euæ facinore gloriatur, cùm vnà cum Chriſto eum mori oporteat. Par eſt autem nos multa nobiſcum in animis conſydetantes & verſantes, ita demum ſermones eiuſmodi habere, qui reprehendi nõ poſsint: nec quicquam nugandi ſtudio dicere, ſed taciturnitate maxima adhibita, moderatè reſpondere ijs etiam quibus reſpondere nos cogat neceſsitas. Suſpiciones verò ſiniſtræ fugiendæ ſunt, probandáque eſt noſtra opinio: & ad ſilẽtium non ira nos, ſed lenitas & clementia debet impellere: nec verò alicui qui paulò leniùs & indulgentiùs ametur, inuidere debemus, nec munus ambire, nec quaſi quæſtus cauſa ſeruire, vt quod amarum eſt, vt aiunt, inuiti abſorbeamus: quæ autem fidei conſentanea ſunt, facienda ſunt recta regula omnia. Qui enim non eſt eiuſmodi, is etiam in funibus quaſi ambulans paulò pòſt corruet, etiamſi ijs qui inertiæ propriæ conſcij ex aliorum gloriatione & laude pudore afficiũtur, magna admiratione dignus eſſe videatur. Intelligendum eſt igitur & quid gloriæ cauſa exerceatur: & quid ad veritatem dum fit, dirigatur. Ob eámque cauſam ita ſua cuiq; nauis gubernanda eſt, vt non gubernandi artem falſitatis accuſet, nec tempeſtates metuat, & ſperet ea fore omnia, quę ex contraria parte euẽtura ſunt. Carnes enim etiam ſumus, nec in nobis quicquã boni ineſt. Eſt igitur medicus accerſendus ad curationẽ. Qui enim ita affectus erit, curabitur, morbúmque declinabit. Danda verò opera eſt, vt nec in ſermone ignari videamur, nec infracto ore abuti. Illud enim inertem aut infidum, hoc eum qui ſtudium & diligentiam quę mundum attingit, aucupatur, indicat. Victus verò non ad voluptatem referendus eſt, ſed ad viuendi alicuius vtilitatis cauſa voluntatem. Quòd ſi quando etiam egeſtate opprimamur, paupertatem approbemus, hilaríque vultu excipiamus. Siverò indolentiæ forma quæ ſit breuiter ac paucis audire vultis, omnibus in rebus placabilem æquabilémque vultum oſtendite: tum nec in diuitiarum abundantia gloriatione deijciemini, nec in egeſtate à dolore ſupplãtabimini, quòd ſemper cogitatio ménſque veſtra rationem rectam ducem ſequens vno ſolóq; vultu appareat. Iam mundus omnis alienus, non noſter ac proprius, plus quàm fides, habendus eſt. Neque igitur amicitia terrena quærenda eſt, neque luxus, quem amentes & ſtulti beatum eſſe dicunt in vrbis magni-

tudine,vel rerum ad viuendum neceſſariarũ abundantia & copia,quę nec A expetenda ſunt. Neque enim mundi huius ſumus,niſi forte cognati & propinqui mundi huius eſſe volumus.Atque vt ſummatim dicam,qui bene viuere vult,is nec videat multa,nec ſtudeat audire:nec ſi audiat aut videat, audire aut cernere ſe exiſtimet. Forma enim tranquillitatis animi hinc ducit exordium. Qui autem multa tractat & agit, is & ſibi ipſe iniuriam infert, & proximis: & præterea eos inuitos ad peccatum impellit propter eam quæ ipſi eſt cum illis contentionem. Sæpe igitur res quæ incidit,perſpicienda & conſyderanda eſt,túmq; ab ea vix debet diſcedere ac ſeiungi is, qui morbum nec cauteriis nec cultris adhibitis vitare B & declinare vllo modo potuit. Conſuetudo cum re nulla quæ mundum attingat,habẽda eſt,ſed cum eo quod ad virtutem nos perficit. Hoc enim niſi fiat,magnã nobis ſcurrilitatem parit:atque is qui contentiones rixáſq; ſequitur, hinc captat occaſionem. Quoſdam enim ſcimus, qui animi ſui propoſitum ſententiámque ſequuti,quantum in ipſis eſt, ex nocte diem faciant:& propter abſurdam ſententiã quæ in eis radices egit,& quaſi callum obduruit, aliquorum correctionibus non pareant,ſed iis offendãtur: & ſimul atque aliquid mali audierunt,iis potiùs fidem habeant,qui mentiãtur. Quid enim attinet me de iis dicere,qui propterea quòd vix vlla re- C ligione tanguntur,proximorum ſermones ad ſe trahunt & conuertunt,atque vt aliquid aliud de quouis dicant, ſermonem ad ſe putant pertinere, fingíque & confici vt veriſimile eſt,ex iis comœdiam?quibus ſatis eſt ſuſpicionibus ad loquendum ſcribendúmque duci. Ridere etiam poſſum eos quia clàm cum aliquo ex proximis verborum capita conſtituunt,& colloqui quæ & ad rem nullam bonam pertinent,& diſsidia belláque loquacitate atque obmurmurationibus pariũt,vbique in ſcæna diuulgãt. Quemadmodum ille qui cùm admodũ magna voce Oreſtis perſonam egit,horribilis & magnus apud ſtultos ex ligneis pedibus, cõmentitióque ventre, D & abſurda veſte, vultúque monſtri ſimili iudicatus eſt. Eodem quoque modo vincendi ſtudioſi ij qui ſtudium & æmulationem in ſe eſſe profitẽtur,licentiæque ſtudent, quòd vincere volunt, æmulatore deuorato, omnem fictæ libertatis ſpeciem ſibi adiungunt:ſicut Bacchæ ſpecie pacis haſtas in thyrſis circunferunt. Hoc etiam cauendum eſt,ne interdum hilari lætóque vultu,interdum triſti prodeamus. Quòd ſi id quod res eſt fatendum eſt,vitare debemus id quod rem & quaſi comœdiam duodecim partium quotidie promittat. Dicam enim id quod mihi videtur,omnem ho- E minem,qui ſententiã ornare & diſsimulare ſoleat,& de recta regula atque via deflectat, ſuo ſe iudicio cõdemnare,cùm ſciat & quod ſtudio facit:& bellũ quidẽ ſciat quod in ipſo eſt,pacẽ autẽ in animo non ſequatur.Amici

τώ τι,lego. omnes colẽdi ſunt:nec ſolùm amicus faciendus eſt, qui obiurgare ſoleat, ſed etiam audiendus. Vino vtendum eſt,cùm iam non legimus.Qui enim eſt eiuſmodi,is & ebrioſus eſt, & præcipiti conſilio,& ſemper calet. Cùm quiſpiam loquitur,nec irridendus eſt, nec arcendus, ſed ferendus quoad propter ſilentium erubeſcens, finem faciat. Conſilium vtile per vnũ publicè

A blicè dandum eſt omnibus. Admonendus eſt is qui in errore verſatur & peccat, non publicè, niſi neceſſe ſit propter contumaciam & faſtidium. Cum mulieribus maiore cum diligentia & cura colloquendum eſt, propter earum iactationem & arrogantiam. Quandiu enim aliqua claram illuſtrémque ſe facit,& mulier eſſe defenditur, & ociū deſidiámque exercuit & excoluit,fœmina eſt,nec ꝓpter eiuſmodi animi ſenſum fidelis eſt. Neque igitur eas exagitemus,quin nec eis aſſentemur.Quod autē charum habemus,id cum periculo ne faciamus.Vitij enim multas in partes tributæ ſunt occaſiones. Quocirca ita vigilandum eſt nobis vt & in conſeruatoris ſermonibus verſemur,nec de quoquam aliquid ſiniſtri aut mali dicamus vel audiamus. Scabie enim animus laborat, plenúſque eſt malorum ſuccorum ex aliis colloquiis. Itaque & vtiles res ſolæ audiendæ, & ex euāgelio faciendæ ſunt:quæ autem quaſi ſupplantant animum,fugiendæ.De verbis diuinis ponēdæ ſunt quæſtiones,in quo præclarè res habebit,ſi prudenter ponantur. Sin minus,ſi etiam vt ab idiota. Stulto enim qui de ſapientia quærit,ſapientia tribuetur. Qui autem prudens iudicio ſuo videtur eſſe, ei magnæ ignominiæ nota inuretur. Dicitur autem à Spiritu amens & ſtultus is,cuius ſenſus ignoratione deprauatus & corruptus eſt,vt ſit id quod ſtultum eſt,idiota, ſicut etiam quod eſt ſimplex. Scribit etiam

C Paulus, Quis nouit ſenſum DOMINI: quis eum inſtruet? Et rurſum, 1.Cor.2.
Nos autem CHRISTI ſenſum habemus. Qui enim inconſyderatè & temere quæ non decet & dicit & facit, is quanquam habitus eſt prudens, tamen ſtultus iudicatur. Ipſe autem deprimendus & demittendus eſt non verbo tantùm, ſed etiam re & factis, vt ne impoſtores nos atque aſſentatores, ſed clementes præbeamus. Debet etiā is qui rectam viuendi viam ſequatur,quieſcere & à negociis curíſque vacuus eſſe,ita tamen,vt non iratus aut vincendi ſtudio taceat,ſed conſyderet omne quod ex vſu ſit,ſi rectè loqui poſsit:ac tum denique vix loquendo,hymnos,pſalmos,cantica & laudes tribuere debet,non quidem pſalmorum cantu pro-

D ximum offendere,quaſi eum qui à ſe diſsideat,obſcurè iudicio ſuo ad aliqua deligenda damnet, vt nec diſcrepare videatur, & quodam modo intelligere tanquam ex arte illum æſtimans, vincendi ſtudium eiuſmodi quod reprehendi non poſsit,reddere. Audiendus eſt etiam is qui conſiliū dat,nō ſolùm docendus.Fides autem ei perinde habenda eſt,quaſi cōprobātes eius conſiliū,amicitiámque etiam cum eo contrahere petamus.Prudentes alios eſſe exiſtimare debemus,nec prudentiam nobis ſolis tribuere & quaſi vendicare. In diſcrimen deducenda non eſt opinio quæ de exiſtimatione noſtra habetur. Corrector contemnendus non eſt,ſed aut docendus eſt,non ſapientem ſe præbere in iis quæ ad ipſum pertinent:aut ſi id quod res eſt dicat,ei & credendum & parendum eſt.Pertinax enim in

E ſtudio victoriæ,ſcelus duplicat:& cùm abduci deberet à propoſito,vincere vt eſt in fabula,Cadmeam victoriam ſtuduit.Cauſa autem eſt,vt & falſam gloriam conſequatur,quaſi minimè peccet,& in ea opinione quæ de periculoſa eius affectione habetur,acquieſcat.Ridiculi enim ſunt ij qui totum

diem clamauerũt,quòd ſe aliquam rem obtenturos eſſe ſperarent:in quos A
contentio malum ingerens,cùm in ocio ſe eſſe putant, eos tum denique
μιμάδες. perturbat,quòd hoc vnum agant vt ſermonẽ habeant de iis quæ in mũdo
excellere exiſtimantur. Imitandi etiam ſtudio trahuntur miſeri quidam & infortunati,qui nullius rei imperitos ſe eſſe iactãt,ſed partim fabricã,partim ſutorum artem, omnéque ſtudium quod eis próponitur tẽporis cauſa tenere ſe profitentur, inimicitiáſque gerunt cum eis,qui ipſorum amentiam & audaciam reprimunt. Falſam etiam gloriam ſequuntur ij, qui hominum laudem, aurámque popularem aucupantes, proximis conſulunt. Magnúmque periculum impendet iis, qui diem Domini implorãt. B
Nam cùm aut credendum ſit, vt iudicium effugiamus, aut etiam proximis venia danda ſit, vt nobis quoque à Deo peccatorum gratiam impetremus: illi iræ procliuitate contra ſe contractus colligant & vinciunt. Fugienda eſt etiam nonnullorũ arrogantia,qui cùm ſe ipſi corrigere moréſque ſuos deberent, parentes iis qui dant conſilium, tamen admodum molliter, Non me,inquiunt,tibi purgo,nec reſpondeo.habe eam quam de me habes ſuſpicionem. Quid enim attinet me de iis dicere, qui ſibi placent,cùm eos quiſpiam admonere vult?& more eorum qui in mundo viuunt,Nec tu me,inquiunt,conſeruare potes, nec condemnare?Noui ego C
multos,qui propterea quòd vllius ſceleris conſcientia vix ducantur,& propter animi impuritatem,proximorũ peccatis lætentur. Improbandi ſunt etiam ij qui mentiuntur,propterea quòd non ſuccenſeant:atque ij qui in ſermonibus & congreſsionibus placidos & manſuetos ſe præſtare ſtudẽt, ſed colore,& oculis, & latenti motu aut capitis aut ſuperciliorum,aut manuum ſonitu diſsident.Fieri enim non poteſt,quin aliquis ſe ipſe accuſet & prodat. Omnis autem fidus cùm ab aliquo ſe irrideri arbitratur, pro ſenſu eius qui ita in ipſum animatus eſt, viciſsim eius vitium malitiámq; fallit,dum alius ingratum animum cognitum & perſpectum habet. Vt D
autem rem in pauca conferam,omnis qui ſe conſyderat & iudicat,nulli culpæ affinis eſt. Eorũ verò qui clamitãt,nemo eſt conſtans. At omnis qui nunc pallidus eſt,deinde ruber,corporíſque temperatione commutatur,is quaſi chamęleon in ardore & ſolitudine oberrat.Cõſyderandæ ſunt etiam nonnullæ affectiones in legendi ſtudio & exercitatione. Nam ſimul atque quiſpiam legit, prudentiæ etiam eius ratio ſe ipſa indicat iis qui valent ad iudicandum. Animorum autem affectiones etiam ex vita declarantur. Ex ea enim exercitatione quæ in victu adhibetur,eorum etiam quæ non apparent,reliquiæ quæ deſident, intelliguntur. Fugiendus eſt etiam litigioſus qui,arte ſe ipſum improbat, quòd viciſsim non contendat vt vincatur: cui ſatius eſt vincere dando operam ne periclitetur, E
quàm non rectam rationem in ſtudio ſequi. Sermones conferendi ſunt qui conſcientiã virtutis teſtem habeant:ambulationéſque ad corporis valetudinem referantur,non propter aliquod negotium, in quo pacta violenta & neceſſaria in proximos confingamus. Non erit alienum,vrbanitate & iocis duriciem & moroſitatem delere eorum qui nimiùm ſapiunt.

Nam

A Nam propter id quod à natura tributum eſt, neceſſe eſt hac de cauſa in locis quibuſdam remotis verſari, in quæ ſolent nonnulli diſsimulanter ſecedere, finémque commẽtationis aliquarum rerum in ſeceſſu componere. Vt autem comicus ille pater luxu diffluentem filium ſe ferre dicit, & ſi oleat vnguentum, negat ſe ſubodorari, tetro odore conans eius peccatum deſcribere: ſic ego ſuadeo paulò prudentioribus, vt iis qui nimis duram viuendi rationem ſequantur, exponant, eos nec quæ faciant ſcire, nec intelligere quę dicãt. Qui enim ſuo iudicio prudẽs eſt, is & monita aſpernatur, & in contrariam ſententiam trahitur, & ei qui dat conſilium, fit ad-
B uerſarius, & ſecum id quod imbecillitatis humanæ proprium eſt, perfidiámque meditatur. Quare eiuſmodi nos præſtemus, quos nemo iure culpare poſsit, non quod nobis tantùm videatur & placeat, perficientes, ſed etiã quod ad multos pertineat, vt ſalutẽ conſequantur. Iraſcendũ autẽ eſt, bene quidẽ res habeat, ſi nunquã. inſaniæ enim & amẽtię eſt talis ſpecies. Si aliquando & cogat, iracundiæ concedendũ eſt, ad proximorum curationem. Qui enim eam ſine ratione ſequitur eíque paret, is primùm ſe odit, deinde proximum, dum & ſe perturbat, & illum dolore afficit. Scriptum eſt enim, Omnis qui temere fratri ſuo iraſcitur, reus erit iudicio. Quod autẽ cõmotionis animi eſt propriũ aliquis per ſe ipſe poteſt cognoſcere.
C Scimus nonnullos, qui iam monitis quæ proximis adhibentur, ſe condemnarunt. Quod enim quis alium docet, id priùs ipſe faciat: ne à proximo ignoretur contrariũ contra ſe facere. Bonus ergo vir hoc ſecum debet dicere, Quoniã nonnullorũ peccatis mentẽ ſuam accõmodauit, num ego etiam ſum eiuſmodi? Vinum nec quotidie inebriandi cauſa bibatur, nec pro aqua requiratur. Vtrumque enim Dei opus eſt, ſed aqua neceſſaria eſt, vinum autem corporis adiumenti & præſidij cauſa natũ eſt. Cui autem lingua primùm impeditur & colligatur, deinde oculi lucent, tum pedes tremunt, & nutant, poſtremò ſenſus officium ſuum non faciunt: is mortiferum venenum accipit, quòd ex ferro falcem aut aliquid eorum quę
D terram excolunt, non faciat, ſed in gladium illud aut haſtam mutet, Deíq; commutet ordinem & adminiſtrationem. Qui enim ebrioſus eſt, cùm hyeme propter frigus potare deberet, ad eum finem, ne obrigeſceret, æſtate autem propter culturã eorum quæ intus ſunt: dum eo abutitur, deſipit, & inſtar ſuum aut canum eorum ciborum quos cepit fluxionibus incaleſcens, indecorè ſe gerit. Debemus autem non more aſotorum Dei operibus improbè vti, ſitim ad ebrietatem trahentes, ſed potum ſumere, ne ſitiamus. Qui verò vinum ſorbentes ritu eorum qui in febre æſtu iactantur, bibunt, mox intemperantia enecabũtur. Fugienda eſt etiam nobis ingluuies, paucorum eorúmque neceſſariorum ſumptione & frugalitate.
E Vt enim corpus cùm ægrotat, multa atque infinita remedia requirit: ſic animus qui ingluuie laborat & malè ſe habet, propemodum etiam pellibus infarciri cupit. Quòd ſi quis cauſam quærat, corporis morbum fingit. Cui reſpondendum eſt, non omne ſtudium quod cogitationis ſententia ſancitum ſit probatione, quæ facilè excuſari defendíque poſsit,

niti: vt etiam vſque ad adulterium, cædem, & fugam patrocinium hoc A inueniatur & defenſio, rectè fieri quę ab ipſis fiant. Qui verò cùm dixit, ei qui interrogat mali cauſam, ſi etiam reſpondet, ſententiam admodum admirabiliter pronunciauit. Alimenta igitur adhibenda ſunt, vt ne eſuriamus. Qui autem ea ad illum vſum adhibet, centum cum manibus, quantum in ipſo eſt, vult incedere, & cum quinquaginta capitibus: quærítque & Geryones trium capitum ac ſex manuum, & mulits manibus, magnáque buccarũ multitudine ſe ingurgitare ſtudet. Laudandæ ſunt diuitiæ nullo modo: paupertas autem accuſanda & exprobranda nõ eſt. Illę enim delectã adhibitámque materiem firmãt, ſed ad extremũ materiei cõſumptio B ſunt & vermes, & ignis, & fures, & tyranni. Hæc autẽ ab hoc quidẽ mundo ſecreta eſt, ſed verum tantum quærit, nec ab vlla re quæ ad tempus durat, flectitur. Hęc vobis ſcripto propoſui, quòd & tranquillitatem animi veſtri admonere inſtituerim, & vos ad perfectum abſolutúmque virtutis munus adhortari. Qui enim talis non eſt, is extra regulam legémq; ſibi datam & præſcriptam currit, & propter ordinem quem nõ ſeruat, præmium amittit: & quanquam miſer fortium athletarum ſubſidium comparat, cibo, aut potione, aut veſte ſumpta, tamẽ corona minimè donatur. Atque hi quidẽ in patris ciuitatem, & vrbem quam charam habuerunt, introducti, æternũ præmium conſequentur: illi autem eo cibo quem hîc ceperunt, veram non C percipient voluptatem. Mulieribus honos tribuendus eſt, adhibita cautione, ne peccetur à nobis: accedendúmque ad eas cũ integritate & cautione, non curioſè, cum metu periculoſæ earum conſuetudinis, conſyderatáque antea facili earum mutatione, & conſcientia ad id quod factũ eſſe arbitrantur. In primis vitanda ſunt earum ſtudia & inſtituta, quibus clàm ſe comere & ornare ſolent: quæ cùm abdito in loco ſunt, & à ſe ipſæ condemnantur, & proximis exitium afferunt. Solent enim nonnullæ, quæ ſe ipſę decipiunt, quòd palàm faciem ornare non audent, artificio hoc facere. in aquam enim vel oleum ſubiectum ora demittentes, iudicant, num cum temperantia bellum gerere poſsint. Quin alia etiam iuſidiarum ratio D ab eis procuratur. In obſcuro enim loco capitis cirros connectentes & ſtringẽtes, quaſi proximos latere velint comam ornare ſe curioſiùs, & genas & capillitiũ digitis primoribus attingunt. Se autẽ etiam contẽplantur & cõſyderant, cùm caput nõ mouẽt. Verſandũ eſt ergo cũ his talibus maiore cum animi fortitudine adhibita diffuſorum ramorum noſtrorum præciſione. Nam vt primùm capti ſunt, aſſentiuntur, & à vulpibus, quæ in terra latitãt, fructus deuoratur. Itaque vt eſt apud prophetam ſcriptum, Stimulis aſinus adigendus eſt, flagriſque equus coërcendus, vt & piger excitetur, & monitis E caſtigationéque pulſetur, quòd fręni impatiens ſit, is qui imperium recuſat. Quare Hieremiæ ſententia, ne nos equos qui ad inſaniam fœminas amant præbeamus, neque ad proximi vxorem hinniamus. Mulier quidem omnis ſoror eſt, ſed proximi dicta eſt mulier, id eſt, Ieſu Chriſti conſeruatoris noſtri, quæ quidem ſecundum Deum & parentem rerum omnium, quia proxima illius eſt, & honoranda & amanda eſt, quemadmodũ Paulus

ſcribit

A ſcribit his verbis, Copulaui deſpondíque vos omnes vni viro, vt vos Chriſto virginem caſtam præbeatis. Eſt autem etiam proximi vxor in nobis caro, ad quam nõ eſt hinniendum. hinnit autem is etiam qui nondum libidinem expleuit, cupiditate eum inflammante, etiamſi ad finem nõ perueniat. Pueri nobis curæ eſſe debent, quòd talium ſit regnum cælorum. Ægri non ſunt negligendi aut contemnendi, neque hoc afferre debemus, nos adminiſtrare non didiciſſe. Qui enim delicatam voluntariámque vitam, aut inſolitam profert, eadem ſibi etiam euentura ſciat: & cùm aliquid tale ei accidet, tum animum ſuum qui ſe ipſe condemnet, accuſet, cùm ea illi eueniant, quæ etiam ipſe præparauit. Non igitur negligendus eſt is etiã
B qui nos negligat. Deus enim eſt qui iudicat. Qui beneficiũ accipere vult, beneficio dando proximi in ſe benignitatem congerat. Nec verò rectum eſt erubeſcere. Nemo igitur nos quòd opere manuum viuimus, miſeros atque indignos quibus auxilium ferendum ſit, exiſtimet. hoc tantùm curandum eſt, ne quis vitij improbǽque vitæ cauſa eos qui ſe Deũ noſſe dicunt, criminetur & reprehendat. Atque, vt paucis abſoluam, mundi huius triſtitia mortem parit iis qui ab ea vincuntur. Quæ autem ex Deo eſt triſtitia, vitæ intelligentiam parit. Hoc autem in primis intelligamus, & morbum nobis qui ex carne ſiue corpore conſtamus propoſitum eſſe, & damnum,
C & indigentiam: eúmque qui ingratus futurus ſit, eſſe in propinquo. Itaque præmeditari debemus id quod euenturum eſt, ne veniens nouum aliquid & ſtuporem animis noſtris afferat. Qui enim eiuſmodi eſt, malo quod euenerit, dicet, Sciebam te interuenturum eſſe, non mè fefellit tui expectatio, prænoſcebam aduentum tuum. Quòd ſi quis ita animatus erit, erecto erit animo, nec corruet. Conturbari autem repentino malo, aut clamare, ſæpe autem etiam angi & dolere, admodũ miſeri eſt animi. Virtuti igitur tãtùm danda eſt opera, & ad eos qui de ijs quæ ad eam pertinent diſſerunt, adeundum eſt. In quibus autem eorum quæ cõmemoro, non inerit actio, eos valere propter inſidias iubeamus, & commilitones noſtros requiramus. Qui enim & hoc ſtudet dicere, Nõ ſum princeps, magiſtratus & iu
D dex, & nihil boni agit, is vt à multis tyrannis victus, latitat, peccato ſeruiẽs, & eos qui per viam iter facere ſtudent, fugit. Quare is demum beatus eſt, cuius mundus & purus eſt animus. Ab hoc enim vno Deus cerni poteſt. Ab inuidia autem & ira fidus, ſiue Chriſtianus procul remotus eſſe debet. Precari verò quotidie debent, vt & verbo diuites & re ac factis potentes reperiantur. Membra enim alij aliorum ſumus, ob eámque cauſam vnà cũ eo qui patitur, patiamur, & cum eo qui in nomine eſt & gloria, gaudeamus eíque gratulemur, eos vitantes, qui Chriſti legem non probant. Hæc vobis, fratres, facienda cenſeo, & præterea cæteros per vos ad Dei vo-
E luntatem perficiendam adhortatus ſum. Dominus autem gloriæ, qui eſt in ſecula, det vobis omnibus, vt cum ijs quos elegit, honorem & requietẽ conſequamini: cuius etiam cum omnibus vobis ſit gratia.

IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS DE QVÆSTIONIBVS A CHRISTIANIS GENTIbus poſitis, earúmque reſponſionum reprehenſionibus liber: Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

Quæſtio prima.

SI maximo bono quod in genus hominum cadit, maximum malum eſt cõtrarium: maximum autẽ bonũ quod hominibus cõtingere poteſt, eſt notitia eius qui verè eſt Deus: maximum igitur malum eſt in eius ignoratione. Sed quoniã hoc malum eſt in nonnullis hominibus, vtrùm tandem Deo qui mundum effecit, dignius eſt, ſtatúmne huius vitæ immutare, hominéſque maximo malo liberare, quemadmodum Chriſtianorum vult ratio, an pati mundum in eodẽ ſtatu manere, atque homines in maximo ſemper malo verſari? A

Reſponſio Gentium.

Primùm quidẽ ad id quod primo loco quæſitum eſt, reſpõdeatur, maximũ malum nullum eſſe. Si enim Deus maximum eſt bonum, profectò ſi quis maximum malum ponat, aliud principium inuenietur Deo contrarium: Id quod Manichæi praua ſentientes, volunt. Alienum eſt enim, Deum nõ omnia comprehendere, nec omnibus bonitatem ſuam elargiri. Maximum igitur malum nullũ eſt. Etenim hominibus ſæpe vtilitatis cauſa datur ignoratio. Videmus ergo pleriſq; hoc ſæpe vſu uenire, vt magis contẽnant, cùm res habent cognitas, quàm cùm ignorãt: pręſertim cùm ignoratio eius qui verè eſt Deus, nõ ex alio, niſi ex ſua obliuione in animum cadat. Ineſt autẽ etiam animis qui hîc ſunt, notitia Dei, vt cernimus etiã hîc homines qui Dei notitiam habẽt. Quòd ſi quis velit id quod res eſt dicere, ne omnino quidẽ eſt Dei ignoratio. Omnes enim Deum eſſe cõmuni conſenſu & notitia cõfitentur. Homines autem qui hîc ſunt, Dei notitiam habere poſſe, eorum etiam qui recta ſentiunt, fides declarat, quæ ait Deũ ipſum deſcendiſſe cognitúmq; eſſe mortalibus. Si ergo poſſunt homines etiam qui hîc ſunt, Dei habere notitiã, nullum eis maximũ malum aut incõmodũ ex eo quòd hîc ſunt, accidit. Iis enim qui ignorãt, ex incredula natura, vt dixi, Dei conuenit ignoratio. Quòd ſi quis etiã concedet, id quod abſurdũ & incõmodum eſt, maximũ incõmodum & malum eſſe ea quę hîc ſunt, & pręſtantius eſſe nõ eſſe ea quæ hîc ſunt, quàm eſſe: is ſi dicit mala effeciſſe quæ hîc ſunt effectorẽ propter imbecillitatem, amens eſt, qui Dei vim nõ omnia dicat cõprehendere. Si verò cùm bona facere poſſet ea quæ hîc ſunt, aliis cõceſſit, vt mala efficerent, hæc etiam erit Dei accuſatio. Qui enim finẽ facere poteſt, ac negligit, is veriùs facit. Si autẽ idem eſt Deus, qui hæc omnia effecit, perſpicuũ eſt, eodem manente Deo, eadem & poſthac, & ſemper fore. Quæ enim olim poterat, nunc etiam poteſt. Sin aliquid amplius nũc poteſt quàm antea, hæc talis eius vis in illum ex tempore conueniet, quod abſurdum eſt. Quod enim ex tempore eſt, interire poteſt. Quòd ſi quondã etiam tam magnum malũ impedire ac prohibere poterat, nec prohibuit, inuidus erat, quod impium eſt etiam cogitare.

(margin: B at "Primùm quidẽ…", C at "Quòd ſi quis velit…", D at "ceſſit, vt mala efficerent…")

Repre-

A *Reprehenſio reſponſionis quæ non rectè data eſt.*

SATIS quidem magnam vim habet ad refellendã rationẽ quæ
ſibi non cõſtat, ipſa, ratio ſi intelligatur. Cùm enim principio ora
tionis dicitur, nõ eſſe maximũ malũ, & extrema oratione, impiũ
eſſe etiã ſola cogitatione indigna de Deo ſentire: quid eſt quãob-
rem nõ maximũ malũ, quod ſine delectu ab eo qui cõtrà diſputat, repudiatũ
& expulſum eſt, quaſi mutuo acceptũ inuehatur? Si verò ad huiuſmodi i m
pietatem, quã ſola opinio & cogitatio pariat, etiam oratio & aſſertio adda-
tur: maior impietas efficitur. Si & aſſeratur, & ſcripto enuncietur: neceſſariò
B omnẽ malitiam & vitiũ talis impietas cõplectitur. Quæ cùm ita ſint, cúmq;
ſit in iis omnibus quę indignè de Deo & dicũtur & ſcribũtur, aut etiã ſolùm
cogitãtur ac ſentiũtur, impietas, quæ gloriã maieſtatémq; Dei labefactat &
tollit: profectò in hominibus maximũ malũ ineſt ex Dei ignoratione. Quo-
niã autẽ etiã à nobis orationis incõſtantiã ſcripto refellendã eſſe pro tua reli
gione cẽſuiſti, ea quę propoſita ſunt breuiter paucíſq; ſcribo. Pluribus enim
id quod perſpicuè falſũ eſt, refellere, moleſtũ grauéq; eſt & ſcribẽti & legẽti.
Duo maximi mali genera is qui reſpondit, in reſpõſione ſua poſuit, triáq; ge-
nera diuinę ignoratiõis, illa quidẽ ex Manichæorũ, hęc ex ſua ſentẽtia. Duo
rúmq; generum maximi mali vnũ ex eſſentia dicebat, alterũ eius quod per
C eſſentiã eſt, efficiẽtia. triũ autẽ generũ Dei ignorationis, vnũ ex obliuione di
cebat, alterũ ex incredula natura, tertium ex bona donatione. Cùm verò bre
uiter & ea quæ ex Manichæorum & ea quæ ex ſua ſentẽtia dicebat, refelle-
ret, aſſerebat interdum Manichæorũ ſententiã reprehẽdens, Maximũ malũ
nullũ eſt: quòd ſi quis maximũ malum eſſe ponat, inuenietur aliud principiũ
Deo contrarium, id quod dum aſſerunt Manichæi, falſò aſſerunt; interdũ
cùm ait, Eius qui verè Deus eſt ignoratio nõ ex aliquo alio niſi ex ſua obli-
uione in animũ cadit: quorũ illis quidẽ verbis maximũ malũ per ſe & eſſẽtia,
tollit funditus, his autẽ id quod ex efficiẽtia & actione dicitur. Quinetiã Dei
D ignorationis genera, quę ipſe poſuit, euertit, cùm ait, Nec planè eſt Dei igno
ratio: omnes enim Deũ eſſe cõmuni ſenſu & notitia fatentur. Si nõ eſt pror-
ſus Dei ignoratio, perſpicuũ eſt, falſum eſſe Dei ignorationẽ in homines ca-
dere vel obliuione, vel incredula natura, vel bona largitione. Si verò com-
munem omniũ notitiam vocat eam quæ propria vniuſcuiuſq; ſectæ eorũ
qui praua ſentiũt, notitia euertitur: ne iſto quidẽ pacto Dei notitia erit in o-
mnibus. Nos autẽ nec maximũ malum Manichæorũ, nec Dei ignorationẽ
quã is qui reſpõdit, finxit, in interrogatione poſuimus: ſed maximum malũ
in notitia, falſum de Deo ſentire, diximus. Dei autem ignorationẽ eam quæ
falſum dixiſſet, quod quidẽ tertium eſt genus maximi mali, & in homines
E cadit ex violatione præceptorum, & ex incredulitate libera & voluntaria.
Quod cùm diſputator inſtituiſſet refellere, duo quidẽ maximi mali genera
quæ Manichæi inducunt, refellit: quod autem ponimus, non refellit. Ita-
que duorum alterum cogimur de eo qui reſpondit, dicere, eum aut non
intelligere tertium noſtrum maximi mali genus, aut non abundaſſe

legitima oratione qua illud contradicendo refelleret. Eſſe autem maximũ A malum, quod Dei ignoratione hominibus vſuuenire ponimus, hinc intelligi poteſt, quòd maximũ malum quod non eſt eſſentia, propter Dei ignorationem homines decretis ſuis eſſe poſuerunt. Id quod etiam declarat is qui reſpondit, cùm ait, Maximum malũ nullum eſt, quòd ſi quis maximũ malum eſſe ſtatuat, principium aliud Deo aduerſum & cõtrarium reperietur, quod falsò Manichæi aſſeuerant. Abſurdum eſt enim, Deum non cõprehendere omnia, nec in omnes benignitatem ſuam conferre. Maximũ igitur malum nullum eſt. His quidẽ verbis ſublatum eſt maximum malũ, quod eſſentia ſua & per ſe tale fingitur: relictum eſt autẽ id quod eſſe po B ſitum eſt in decretô, quod etiam in quæſtione poſuimus. Quoniam autẽ ad tollendũ maximũ malũ quod ponimus, is qui reſpõdit rem protrahẽdo dicebat, Maximũ malũ nullũ eſt, ex eo facilè perſpicitur eum qui reſpõdit, non intellexiſſe, quẽadmodum dixi, noſtrũ maximum malũ, aut ei defuiſſe orationẽ qua iure contradiceret. Quòd ſi ita eſt, nõ eſt dubium, quin maximum malum in hominibus verſetur ex hypotheſi in ſententia. Si enim inquit, maximum bonũ Deus eſt, vera quidem & pia eſt vox quæ Deum maximum bonum eſſe aſſerit. Sed quoniam nonnulli homines, Dei ignoratione eum qui verè Deus eſt, veris iuſtiſq; ſuis nominibus & honoribus C ſpoliant, eáq; iis qui non ſunt, attribuũt: videtúrne ei qui reſpondit, duplex eſſe impietas, qua maior nulla eſt, eum qui verè Deus eſt, ignorare, & eum qui non eſt, illius & nominibus appellare & afficere honoribus? Quomodo autem fieri poteſt eius hac negatione, nõ ineſſe maximũ malum in hominibus, cùm maxima impietas maximúmq; ſcelus in hominibus reperiatur? niſi fortè maximã impietatem maximúmq; in Deum ſcelus, non maximũ malum eſſe ducit. Si quis, inquit, maximũ malum eſſe ponat, principiũ alterum Deo contrarium reperietur. quod Manichæi falsò putant. Etenim abſurdum eſt Deũ non cõprehendere omnia, nec omnibus largiri bonitatem ſuam. Maximum igitur malũ eſt nullũ. Si maximum malũ in homines nul- D lum conuenit, cur Manichęos culpaſti, quaſi nõ rectè dicant, quæ dicunt? Si enim vitioſè & malè dicũt, quæ dicũt Manichæi, nõ eſt dubiũ quin prauũ ſit quod aſſerũt. Omnis enim qui malè dicit, malum malè dicit. Atqui malum quod inducunt Manichæi, eiuſmodi eſt, vt eo nullũ maius ſit. Quod ſi verũ eſt, verè etiã magnum malũ in hominibus extat, ſi minùs per ſe & eſſẽtia ſua, at certè ex hypotheſi & in ſentẽtia. Ignoratio enim, inquit, ſæpe hominibus vtilitatis cauſa datur. Hoc enim in multis animaduertimus, eos ſolitos eſſe cõtemnere ſæpius cùm rẽ tenent, quàm cùm ignorant: pręſertim cùm Dei veri ignoratio non ex aliquo alio niſi ex ſua obliuione in animũ cadat. Dei autẽ notitia in animis etiam qui hîc ſunt, ineſt, quemadmodũ hîc etiam homines Dei notitiã habere cernimus. Quòd ſi quis id quod res eſt, E dicere velit, Dei ignorationi nihil loci prorſus relinquitur. Omnes enim communi notitia Deum eſſe conſentiunt. Homines autem qui hîc ſunt, notitiam Dei habere poſſe, eorum etiam qui recta ſentiunt fides planè declarat, quæ aſſerit Deum ipſum deſcendiſſe, & cognitum eſſe mortalibus

A talibus. Aſſerit his verbis, ignorationem ſæpe hominibus concedi,
ſed ſi ignorationem intelligit, de qua agimus, perſpicuè abſurdum eſt,
Dei ignorationem vtiliter dari ignorantibus,dicere. Iſta enim ratione ſu-
perſtitiones omnes quæ Deum ignorant,vtiliter,ac bono ſuo Deũ igno-
rabunt:& quæ Deum cognoſcunt religiones,cum non vtilitatis ſuæ cauſa
cognitum habebunt.Quòd ſi aliam ignorationem dicit,non eam de qua
diſputare inſtituimus, profectò additio hæc intẽpeſtiua eſt,quę pro igno-
ratione quam quærimus,eam quæ non quæritur, continet. Dixit in ani-
mum ex ſua obliuione Dei ignorationem cadere:dixit etiam hîc in ani-
mis ineſſe Dei notitiam:dixit,nos hîc etiam homines videre,qui Dei no-
B titiam habent:dixit apertè non eſſe Dei ignorationem. omnes enim cõ-
muni notitia & quaſi conſenſu Deum eſſe concedunt : dixit homines
etiam hîc Dei notitiam habere poſſe, ad quod docendum eorum qui re-
ctè ſentiunt, fidem protulit,quæ & Deum deſcendiſſe aſſerat, & homi-
nibus fuiſſe cognitum.Sed ſi illud verum eſt, Dei ignorationem animo
accidere ex ſua obliuione:perſpicuũ eſt hoc falſum eſſe,Dei ignorationem
non eſſe omnino.Inter omnes enim communi notione cõſtat, eſſe Deũ.
Cur enim opus erat ineſſe in animis qui hîc ſunt,Dei notitiã,cùm omnes
Dei notitiam habeant,& communi notitia eum eſſe fateantur?Illud autẽ,
C Atque hîc homines videmus qui Dei notitiam habẽt,de quibus tandẽ di
cit & intelligit?Si de iis qui norunt Deũ qui deſcendit,atque eis cognitus
eſt ex fide eorũ qui rectè ſentiunt:vera eſt oratio. eos enim videmus.Sed
cur is qui Dei ad homines aduẽtu vſus eſt ad docẽdum,fieri poſſe vt hîc
etiam homines Dei habeant notitiam,ea nõ credit, quæ ab ipſo de mũdi
effectione dicta ſunt? Incredibilis enim demonſtratio credibile nõ docet
eſſe id quod ad demõſtrandum proponitur.Si verò non eos quibus traditũ
eſt, Deum deſcendiſſe & cognitum hominibus fuiſſe, hîc Dei notitiam
habuiſſe dicit:falſum eſt quod ait,Videmus hîc homines qui Dei notitiã
habuerũt.Ego enim illos nõ video.Et,ſi hîc nihil omnino loci Dei igno-
rationi relinquitur,(omnes enim cõmuni notitia fatẽtur) quę tãdem Dei
D notio hîc in hominibus fuit, niſi propria & ſpecialis cognitio,qua omnes
religiones quę in terra ſunt,ab ea quidẽ quæ verã rationẽ pręponit,falſita
te ſola,inter ſe autẽ falſi differentiis ac varietatibus differũt?At ſi ita eſt,nõ
ratione eius qui reſpõdit, in animis qui hîc ſunt, ineſt Dei notitia,ſed po-
tiùs ignoratio: ſiquidẽ non cõmuni & generali Dei notitia quæ in eis eſt,
inter ſe religiones differunt,ſed propria potiùs & ſpeciali, quæ hîc in eos
cadit.Si ergo fieri poteſt, vt hîc etiam homines dum ſunt, notitiam Dei
habeant,nullum eis maximum malum ex eo quod hîc ſunt,accidit.Iis e-
nim qui Deum ignorant,ex ſua, vt dictum eſt, incredula natura eiuſdem
E euenit ignoratio. Duo verba quæ mutuò ſe refellunt & tollunt, coniun-
ctè in reſponſione ſua is qui reſpondit, poſuit, hoc, Si fieri poteſt
vt homines dum hîc ſunt,Dei notitiam habeant, nullum eis maximum
malum accidit : & illud, Iis qui ignorant, ex ſua incredula natura Dei
euenit ignoratio : quódque maximum malum priore verbo extermina-

uit,id poſteriore induxit,ſi maximũ malum eſt duplici impietate ac ſcelere A
in eum qui verè Deus eſt impiè facere,id eſt eum quidẽ ea gloria fraudare
quæ per ſe & natura ei conuenit,iis autẽ qui dij nõ ſunt,illius gloriam &
honorẽ falſò tribuere :quod ſcelus nullo ſcelere ſuperatur. Quod autẽ ait,
quia fieri poteſt vt homines qui hîc ſunt, notitiam Dei habeant, nullum
eis maximum malũ contingere,id nõ maximi mali depulſio eſt, ſed magis
amplificatio,propterea quòd homines in eo quod poſſunt,imbecillitatem
ex ſua incredulitate volũtaria nanciſcũtur:& cùm poſsint per ſimplicẽ pie-
tatem ac religionem quæ ſeruatrix eſt hominum , Deum colere , tamen
ei duplicem impietatem anteponunt,quamnon appellare maximum ma- B
lum,abſurdiſsimum eſt.Quòd ſi quis etiam concedet,id quod abſurdum
eſt, maximum eſſe malum ea quæ hîc ſunt,ſatiúſque eſſe ea quæ hîc ſunt
non eſſe , quàm eſſe : is ſi dicat mala effeciſſe effectorem quę hîc ſunt
propter imbecillitatem , amens eſt , qui vim Dei non omnia dicat com-
prehendere. Si verò cùm poſſet bona efficere quæ hîc ſunt,permiſit aliis,
vt mala facerent, hoc etiam eſt Dei accuſatio. Qui enim ipſe facere po-
teſt , & tamen negligit , is veriùs facit. Si ex iis quæ paulò antè dicta
ſunt , Dei ignoratio in eos qui eum ignorant , ex ſua ipſorum incredu-
la natura cadit , quod quidem maximum malum eſſe conceditur , cur
hoc nunc is qui contrà diſputat abſurda confeſsione concedit ? Quòd C
ſi non hoc , ſed aliud maximum malum abſurda confeſsione concedit,
non ex noſtra , ſed Manichæorum ſententia eſt maximum illud malum.
Noſtra enim ratione & ſententia, bona ſunt quæ hîc ſunt omnia,vt quæ
effectorem habeant bonorum maximum.Nec verò maximum malum in
eis vllum eſt,vt ita dicã,per eſſentiam,neq; per efficientiam eius quod eſt
per eſſentiam, ſed libero voluntarióque hominum conſilio & propoſito,
quod falſum veritati anteponit,ea duplici impietate quam diximus·cuius
corrigendæ cauſa vniuerſitatis huius effector & Deus,diem conſtituit,quo
mala & ſcelera omnia quæ in mundo perfidia & cõtra eius pręcepta fiũt,
delebuntur,quemadmodum & ij credunt qui recta ſentiunt,atq; hîc Dei D
notitiam habuerunt,& teſtis eſt is qui contrà diſputat. Non igitur debuit
is qui reſpondit,cùm de eo maximo malo quod ponimus, ageret,ad ma-
ximum illud malum quod Manichæi ponunt,diſputationẽ trahere.Igno-
rationis enim hoc argumentum eſt,& penuriæ reprehenſionis,iam vt di-
ximus. Permittit autem D E V S, vt ea mala faciamus , quæ ſponte ſuſci-
pimus ac deligimus, non propter imbecillam vim qua ſit præditus, ſed vt
& noſtrum liberum arbitrium & ipſius patientia declaretur , ſine quibus
nec nos homines,nec ipſe bonus in hoc vitæ ſtatu eſſe poſſet. Si verò ipſe
eſt Deus qui ea quę hîc ſunt fecit,perſpicuũ eſt,eodẽ manẽte Deo,& in po
ſterũ,& ſemper hæc fore . Quę enim quondã poterat,nunc etiã poteſt.Sin E
autem nunc plus poteſt,quàm anteà,ei ex tempore hęc talis vis cõueniet,
quod abſurdum eſt. Quod enim ex tempore conuenit,interire poteſt.In
quibus dicitur,qui fecit,in iis & fecit & faciet dicitur.atque eorum,vt quæ
inter ſe idem valeãt & efficiant,conſequens eſt trãſſumptio.Antecedit au-
tem

A tem qui fecit,& ſequitur faciet naturali neceſsitate:quæ quidem duo tem poris extrema declarant.Eum porrò qui duo temporis extrema habeat,id eſt pręteritum& futurum,neceſſe eſt id quod extremis temporis interiectũ eſt,id eſt,inſtans,habere. Quoniámque hoc totum,Qui fecit,temporis ſignificationem complectitur , neceſſariò etiam Deus qui hæc quę cerni nius effecit,vt ait is qui reſpondit,ea in tẽpore effecit.Sed cùm fecit Deus hæc omnia:& ea quæ immortalia ſunt, & ea quæ intereunt,fecit.Hæc enim eorum quæ hic ſunt,partes habentur.Itaque perſpicuum eſt,eum qui reſpondit,rectè illud totum,qui fecit,poſuiſſe ac dixiſſe in Deo:ſed nõ re-
B ctè ex eo quod ex tẽpore accidit,ea quę intereũt,ab iis quę nõ intereunt diſtinxit, cùm hoc verbo, qui fecit, inter ſe minimè differant:ſi quidem ea quæ intereunt & ea quæ non intereunt,condidit.Si ergo is qui de Deo ait, faciet,effectionem dicit aſſumpta vi ex tempore : dicet etiam de eodem hoc totum,Qui fecit,quaſi vim ex tempore aſſumpſerit: ſiquidẽ ſemper & vbique verbum hoc,qui fecit,antecedens eſt,& faciet, conſequens. Quòd ſi cùm fecit , non aſſumpta ex tempore vi fecit, nec aſſumpta vi ex tẽpore faciet . Si verò cùm poterat etiam quondam prohibere maximum hoc malum,non prohibuit,inuidus erit: quod etiam impium eſt cogitare. Oportet igitur eum in eiſdẽ manentem,eadẽ facere. Homines Dei igno-
C ratione impulſos multos variiſque modis multa impiè in Deũ facere,ſi verum Deum ignorẽt,ſuprà demonſtrauimus.Nam aut Deum improbát & reſpuunt,dum eum gloria ſua ſpoliant & fraudant,eóſque qui dij nõ ſunt illius & nominibus appellant, & rebus falsò colunt:aut mũdi & effectionem & prouidentiam ponunt eſſe,bellum inter ſe effectoribus gerẽtibus: aut ingenerati nomine,quod quidem vno Deo qui mũdum condidit dignum eſt,mundi partes appellant, ac ſine efficientia effectoris nomẽ Deo attribuunt:vt alia maximorum malorum quæ in hominibus inſunt,genera prætermittam,quæ parem aut etiam maiorem in ſe impietatem continent,quàm ſcelus eorum,qui inuidum Deum eſſe fingunt.Quòd ſi hęc
D & alia eiuſdem generis maxima mala in hominibus repeiuntur,& ſecun dã creationẽ quæ à Chriſtianis prædicatur,in qua malorũ omniũ quæ ab hominibus,tum animo,tum corpore admittuntur, euerſio fiet, is qui reſpõdit,non approbat : quid eſt cur non eius ratione & ſententia Deus ſit inuidus,qui cùm poſsit impedire maxima hominum ſcelera , & mala,nõ prohibeat, ſed permittat vt in eis maneant & hæreant ij qui multa impiè ac ſcelerate & in ipſum , & alij in alios faciant ? ſed cur non credit is qui reſpondit,mundi vt ita dicã,recreationẽ?propter effectoris imbecillitatem, an propter operis deformitatem ? Si propter eius qui facit imbecillitatem,non erit DEVS effector.Quorum enim mutationis Deus vim non
E habet,eorum nec effectionis quidem habet. Hæc enim alia aliis cõſequẽtia ſunt,ſiue ponantur,ſiue tollantur.Si propter operis deformitatem & indignitatem:erit opus præſtantius, quod eo indignum ſit quod abſurdum eſt,dicere mortales homines decere Deum facere, immortales & ab interitu ſolutos ac liberos non decere.

Interrogatio Chriſtianorum. 2. A

Si fieri non poteſt, vt ſit Deus qui nihil fecerit, quomodo Deus eſt, ſi mũdus ortum non habuit, quemadmodum nonnullis placet?

Reſponſio Gentium ad Chriſtianos.

DIcere fieri non poſſe vt Deus ſit qui nihil fecerit, abſurdum eſt: rurſus enim hîc quoque eadem ratio accommodatur, nihil Deo ex tempore conuenire. Si nihil Deo ex tempore conuenit, perſpicuum eſt ne præteritum quidem tempus Deo eſſe tribuendum: ſi hoc non conuenit, nec Deus quiduis feciſſe dicendus eſt. Quid ergo? dicéſne nos errare qui DEVM non agentem dicamus? Atqui B hoc minimè dicimus, ſed Deum non feciſſe, nec facere, nec facturum eſſe in tempore. Nihil enim magis fecit, quàm efficit: nec rurſum magis facit quàm faciet: ſed præteritum apud Deum in inſtanti eſt tempore, & futurum in eo quod iam factum eſt, quaſi nihil Deus habeat quod defluat, ſed ſemper eadem faciat propter perfectã ipſius immutabilémque & vim & actionẽ. Facit ergo mundum in hoc ipſo quod verè eſt, motum ei æternum tribuẽs, quòd in ipſum per ſeculum lucẽ diffundat. Ita fecit quidẽ nihil, neq; faciet, ſed idem ſemper idem efficit, non habens effectionis principium, vt ne finem etiam habeat: propterea quòd ſi principium finémq; habeant eius actiones, Deus actione interitui erit obnoxius, quod abſurdum eſt. Erit enim & vis eius mutabilis, vt qui aliàs aliis actionibus vſus C ſit, & eſſentia mouebitur, quæ aliàs aliam vim procreet, nec in iiſdem maneat. Si ergo hæc ex his omnibus ſequuntur, profectò Deus mutabili erit & eſſentia & vi, & actione, quod abſurdum eſt. Idem igitur manens nihil habebit ex tempore. Efficit ergo mundũ, cum ſemper ordinans & deſcribens: mundúſque ex eo quòd ſemper conſeruatur, oritur, & quòd ſempet idem eſt, caret origine.

Reprehenſio reſponſi quod non rectè datum eſt.

ABſurdum eſt dicere, fieri non poſſe vt ſit Deus qui nihil fecerit. rurſus enim etiam hoc loco eadem accommodatur ratio, quaſi nihil apud Deum ſit ex tẽpore. Si propterea quòd nihil in Deo D ineſt ex tempore, abſurdum eſt eum feciſſe dicere, idem eſt incommodum ſi ex tempore facere, quod ſi feciſſe dicatur. Quomodo igitur is qui reſpõdit, Deo indignũ eſſe feciſſe dicit, & dignũ facere? Quòd ſi hoc verbum, qui fecit, idem valet quod fecit: eadémque ratione facit idem quod faciet efficit, & eorũ quæ idem efficiunt conſequens eſt alterius pro altero collocatio: cur in ſuperiore reſponſione in Deo dixit, qui fecit & facit, nũc autẽ vtrumque ei adimit? Ac verbũ quidẽ illud, qui fecit, Deo accommodauit his verbis, Idem eſt Deus qui fecit ea quæ hîc ſunt, facere autem eundẽ dixit his, Oportet igitur eũdem manentẽ Deum in eiſdem, E eadẽ facere. Atqui tollens in poſteriore reſpõſione ea quę in ſuperiore poſita ſunt, ita loquitur, Abſurdum eſt dicere Deum nihil feciſſe: & rurſus, Nec fecit Deus, nec facit, nec faciet in tempore. Sed fortaſsis eadem obliuione ſecum diſcordare & à ſe diſcrepare ſuſtinuit, qua accidere dixit hominibus

A minibus,vt Deum ignorent.Nos autem ea quæ ſequuntur,conſyderemus. Hæc ſunt eius verba,Nihil Deo ex tempore conuenit,ex quo perſpicuum eſt,nec præteritum tempus rectè in Deo dici, quod ſi ei minimè conuenit,nec quiduis feciſſe Deus rectè dicendus eſt. His verbis abſurdum ponens,quaſi nihil ex tempore Deo conueniat,ea quæ ex eo quod abſurdũ dicit:neceſſariò conſequuntur,prò conſentaneis ponir hæc, Si nihil Deo ex tempore cõuenit,perſpicuum eſt nec præteritum tempus rectè in Deo dici, ſi autem hoc non conuenit, nec Deus quiduis feciſſe rectè dici poteſt.Quòd autem abſurdè poſuit,nihil Deo ex tẽpore conuenire,ad quod B docendum ea quæ deinceps inducuntur adhibuit,ſe ipſe refellit, his verbis quibus in priore reſponſione vſus eſt,Quòd ſi idem eſt Deus qui hæc quæ videmus effecit,perſpicuum eſt,eodẽ manente Deo,& poſteà,& ſemper eadem fore.Quæ enim quondam poterat,nunc etiam poteſt. Si ergo nihil in Deum ex tempore cadere poteſt, profectò nec verbum hoc qui fecit,nec facit,nec prius,nec poſterius,nec quondam,& nunc,nec poterat nec poteſt in eodem dici & intelligi poſſunt. Verba enim hæc, qui fecit, prius,quondam,& poterat præteritum tempus declarant. Hæc etiam,facit,poſterius,nunc & poteſt,inſtantis & conſequentis temporis habent ſignificationem.Quòd ſi hæc quæ in Deo poſita & conceſſa ſunt intelligi, C eam vim habent,vt ſignificent & ponant, ea omnia quæ Deus effecerit, ex tempore apud eum eſſe:perſpicuũ eſt ab illo hoc abſurdè poſitum eſſe, nihil in Deum conuenire ex tempore.Quo vt abſurdè poſito,ſublato,vnà etiam neceſſariò illud tollitur, verbum hoc,feciſſe, non conuenire Deo. Hoc enim etiam ſublato,neceſſariò ponitur eius contrarium,id eſt,feciſſe Deo conuenire.In omni enim re vel affirmatio vera eſſe debet, vel negatio. Hoc autem poſito, Deo feciſſe conuenire, fieri non poteſt vt dicatur Deus qui nihil fecerit.Quid ergo?num dices nos Deum nihil agentem dicentes errare?Hoc non dicimus,ſed nihil Deum,aut feciſſe,aut facere,aut facturum eſſe in tempore: nihil enim magis fecit, quàm facit, nec rurſus D facit potiùs,quàm faciet,ſed præteritum apud Deum eſt in inſtanti,& futurum in eo quod factũ eſt, quòd nihil Deus quod fluat,habeat, ſed ſemper eadem faciat pro perfecta ſua & immutabili tam vi quàm actione.Ac vitare quidem errorem eorum qui Deum ceſſantem & nihil agentem ponunt,eum autem dicere nec feciſſe,nec facere,nec facturum eſſe in tẽpore,eſt in eundem errorem incurrere.Si enim errare velles,Deúmque nihil agentem dicere,quid amplius dicere poſſes,quàm quæ modò dixiſti,dum errare non vis nec dicere Deum nihil agentem,Deum nec feciſſe,nec facere,nec facturum eſſe in tempore? Verbis enim quæ temporis ſignificationem declarant & habent, ex Dei actione ſublatis, Deus nihil agens E reperietur.Itaque nec effector eſt,ſi nihil in tẽpore Deo conuenit, ex quo etiam perſpicuum eſt,nec præteritum tempus apud eum eſſe,nec inſtans, nec futurum.Cur igitur is qui reſpondit ea quę in tempore ſunt,Deo adnuens,quæ in tempore ſunt eidem tribuit? Ait enim,Sed præteritũ tẽpus apud Deum eſt in inſtanti, & futurum in eo quod iam præteritum eſt.

Hoc quidem duo quædam declarat,vel id quod non eſt apud Deum eſſe A in eo quod nullum eſt,vel quod eſt apud Deũ in eo quod eſt,eſſe. Si primum eſt,fieri non poteſt:in aliquo enim eſſe, aut non eſſe eius eſt quod eſt in rerum natura. Si ſecundum,eſt apud Deum id quod non eſt in eo quod eſt,id eſt præteritum tempus in inſtanti. Quo poſito dicetur, non rectè dictum eſſe,nihil eſſe in tempore apud Deum,& præteritum eſſe in inſtanti, & futurum in eo quod præteriit:quæ quidem ſunt in tempore. Et ſi autem mutant rationem qua ſint apud Deum partes temporis, tamen cõceſsit eſſe apud eum præteritum tempus,inſtans & futurũ, tametſi non magis fecit Deus,quàm facit, nec rurſus facit magis, quàm faciet: B alióqui quid opus erat illud magis adimere operibus quæ ex eo quod fecit ſequuta ſunt,& quòd facit & faciet,cùm inter ſe opera differãt,nec ex eo quòd magis aut minùs ſint,inter ſe differant?Neq; enim infirmatio eſt, non feciſſe,ex eo quòd non magis fecerit, aut faciat: ſed hoc ipſo magis feciſſe cõfirmatur.Verùm ea omnia quæ perſpicuè Deo ademit ex tẽpore,in exordio poſterioris reſpõſionis,hoc in loco terminũ habuerũt, Quaſi nihil quod fluat Deus habeat,eadémq; ſemper faciat pro abſoluta ſua immutabilíque & vi & actione.Tollens ea quę ſunt in tẽpore,ea quę nõ ſunt tẽporis non ponit.Quomodo igitur ſi illius ratione nihil quod tẽporis ſignificationem habet,Deo conuenit,Deus eadem efficit?Efficere enim in- C telligi ſine inſtanti tempore non poteſt. Quo autem pacto perfectam & vim & actionem habeat Deus,ſi eadem ſine fine efficit?Si enim hoc ipſo motus actio inchoata eſſe dicitur,quòd ſemper creatur,& eius etiam imitatione Deus faciebat,inchoata erit & minùs perfecta eius actio. Perfecta enim actio in iam abſoluto opere,nõ in inchoato cernitur. Quòd ſi propter imperfectionem actionis,& imperfectiſsimam rationem Deum quicquam feciſſe negat:non verè dicit perfectam Dei eſſe actionem, quæ nec ex toto,nec ex parte quicquam abſoluit.Quòd ſi nõ abſoluto opere,eius qui facit actio perfecta eſſe non poteſt:perſpicuum eſt,ne Deum quidem perfectam habere actionem,cùm ſemper opus faciat. Facit igitur mun- D dum in eo ipſo quod verè eſt,motum ei interminatũ tribuens,ex eo quòd colluceat ſemper.Si Deus mundũ motus largitione efficit,non eſt id quidem dubium,quin mundum in tempore efficiat. Neque enim ſine tempore extat motus,qui mundo à Deo ad ipſius motum tribuitur. Quòd ſi facere inſtantis eſt temporis,& motus fit in tempore:quid eſt quãobrem non falſum ſit,nihil eſſe in tempore apud Deum?Quomodo verò mũdus qui nondum ortus & factus eſt,moueri poteſt,niſi ſit cùm fit,quòd Deus quidem ſine tempore facit,mundus autem fit in tẽpore?Neceſſe eſt enim quemadmodum facit is qui facit:ſic id quod fit,ſine tempore fieri. Si autem tributione motus mundum Deus efficit,neque is rectè dici poteſt fe- E ciſſe mundum, ne mundus quidem motus eſſe dici rectè poteſt, ſi aliud quidem ſit id quod motu cietur,alia autem motio,velut exempli cauſa ſit ſol id quod mouetur,eius verò motus, ex loco in locum migratio:& motus quidem ſoli eſſentiam nõ tribuit, ſed dat ei vt loco moueatur: perſpicuum

A cuum eſt ſolem ipſum duas habere effectiones, vnam eſſentiæ, motionis alteram,veluti ſol eſt coagmentatio ætheteę naturæ,ſplendida ſpecie,circulati figura,quorum nihil à motu ſol habet.Quòd ſi horum nihil à motu ſol habet , perſpicuum eſt eundem ne ab effectione quidem Dei habere.Quòd ſi afferendo motu perenni & interminato ſolem qui pars eſt mundi,Deus efficit,quemadmodum totum mundum facit,& primùm id quod moueri poteſt eſſe debet,deinde motus:certè aut ſol fieri non poteſt per eſſentiam,aut alia effectione eius eſſentiam Deus fecit,aliáq; effectione eius motum,ita vt cùm primùm feciſſet eius eſſentiam,deinde ei motum tribuerit.Atqui ſi ei motum ſempiternum affert, nec ſemper eius eſ-
B ſentiam facit, hoc perſpicuum eſt,Deum illius iam facta eſſentia, ei motũ æternum & interminatum afferre,eſſéque effectionis eius eſſentiæ terminum principium eius motionis.Quæ ſi ita habent,perſpicuũ eſt nihil eſſe apud Deum ſine tempore.Effectio enim effectionem excipiens nõ eſt expers temporis. Quocirca nihil quidem fecit Deus,nec faciet, ſed facit ſemper idem rem eãdem,nõ habẽs effectionis principiũ, vt nec etiam finem.Hoc demonſtrato aliam eſſe ſolis eſſentiæ effectionem,& aliã motionis eius effectionem,quam interminatam is qui reſpondit,nominauit, atque eſſentiæ eius effectionem motus effectioni antecedere:quid eſt cur
C non abſurdum & alienum ſit,principio carere dicere ſolis effectionẽ quę à ſolis motu ante interminatam motus effectionem terminatam eſſentiæ effectionem nacta ſit?Aut igitur ſolis eſſentiæ Deus effector non eſt , aut ſolis per motum effectio principio non caret.Si primum eſt,id eſt, ſi ſolis eſſentię non eſt effector Deus,ne motus quidem eiuſdẽ effector eſt.A quo enim eſſentiã habuit,ab eodem etiam motum habuerit neceſſe eſt. Si ſecundum,actione Deus interire poteſt,ſiquidem iſtius ſententia finita Dei actione, Deus actione interit. Si verò ſolis eſſentiæ effector eſt Deus, nec eam ſemper facit,profectò eam effecit antè quàm ipſe moueretur,nec vlla eſt apud Deum ſine tempore effectio. Nam ſi principium habent & finem Dei actiones, interibit Deus actione, quod eſt abſurdum:erit etiam
D vis eius mutabilis,aliàs aliis actionibus prædita. Vis autem mutabilis erit, aliàs aliis actionibus vſa,& eſſenria mutabitur aliàs aliam atq; aliã vim generãs manénſque in eiſdẽ. Si ergo hæc omnia ſint, perſpicuum eſt Deum mutabilem fore & eſſentia & vi & actione. Vt Deus ipſe principium & finem non habet,ſic nec eius actio,nec eiuſdem opera. Sunt enim in eius operibus eius actiones.Vt igitur eo quod facit non eget, ſic nec eius opera quæ dicũtur.Falſò etiam dicetur Deus effector eſſe eorũ quæ per ipſum principio & fine carent.Quòd ſi ſemper & vbique effector ab operibus eo differt,quòd ipſius prior eſt ſtatus,illorum poſterior:perſpicuum eſt, eum
E qui Deo & eius operibus hanc adimit differẽtiam,vtraque priuare & ſpoliare Deum & opera,illum quidem effectoris,hæc operum nomine & appellatione.Quòd ſi eſt infinita Dei vis,ſicuti profectò eſt,eiúſq; finita ſunt opera,quid eſt quamobrem non iſtius ſententia Deus actione intereat ex ea vi qua quidem ſit ipſe præditus , ſed non agat ? Si verò ex ea vi qua

eſt prǽditus:& tamen non agit, Deus interire non poteſt, nec finita etiam Dei actione, quæ mundum in lucem profert, actione Deus occidit, quãdoquidem etiam vult, non quatenus poteſt. nec Deum mortalem facit actionis contractio, nec igitur cùm actionem contrahit, eam virtutis mutatione contrahit, ſed vis quidem Dei immutabilis eſt ſemper, ſed arbitratu ſuo actiones adhibet. Neque enim agit Deus quemadmodum agunt ij qui in agendo ſtatum ſuum habent, ſic vt actione ſublata & finita, eſſe etiam deſinant, veluti ignis & nix. Si enim hoc modo agit Deus, non magis eorum quæ fiunt, quàm eorum ſtatus cauſa efficit, tanquàm ſi agendi finem faciat, eſſe etiam deſinat. Quod ſi abſurdum eſt, illud etiam abſurdum eſt, B dicere mutabilem eſſe Dei vim detracta actione, aut moueri eius eſſentiã variis actionibus, aliàs aliis propoſitis. Atq; vt nos Deus cùm facit primùm pueros, deinde adoleſcentes, poſtremò ſenes, non poteſtatis mutatione facit, nec actionis interitu, nec pro eſſentię ſuæ mutatione mutat viciſſim ętates noſtras diuerſis temporibus quę priore & poſteriore inter ſe differãt, ſed actionis progreſſu & contractione: ſic non pro poteſtatis mutatione eius operatio principium habet & terminum, ſed à progreſſu & detractione. Si enim contracta detractáve actione iam vti Deus finita actione non poſſet, rectè actionis interitus diceretur. Nunc cùm poſſit quãdo vult eadem actione vti, actio Dei dum detrahitur, non interit. Niſi enim vis intereat, interire & confici actio non poteſt. Aliud eſt enim actionis interitu, C aliud actionis detractio. Nam niſi contraheretur actio. quæ mundum efficit, mundi numero innumerabiles facti eſſent infinita actione. Nunc autem cùm mundus vnus effectus ſit, ex finito opere finita actio quæ mundum fecit, oſtenditur. Idem ergo manens, nihil habet quod temporis ſit particeps: facit igitur mundũ, eũ ſemper ordinans: mundúſque ex eo quidem quòd ſemper cõſeruatur, fit: quòd autẽ ſemper idẽ eſt, originis eſt expers. Si nihil habet Deus quod ſit particeps temporis, ne facere quidẽ habet: facere enim cum tempore coniunctum eſt. Quòd ſi Deus mundũ facit, nec eius eſſentiam in lucem profert, profectò mundũ non efficit. Mũdus enim ſine eſſentia non eſt mundus. Si verò eſſentiã mundus habet, nec D fieri, nec cuſtodiri neceſſariò poteſt. Quod enim vt fiat, eſſentia nõ requirit, id nec ad ſe tuendum deſyderat. Natura enim quæ origine caret, nihil externum accipit. Quòd ſi in omni enunciatione aiens aut negans vera eſſe debet, cur vtramque is qui reſpondit in mundi ortu poſuit & affirmationem & negationem, cùm ait eum & genitum eſſe & non genitũ? præterea ſi vt in tertia reſponſione dixit, Deus qui ingenitus eſt, ingenitẽ facit omnia, non dum generantur, ſed ſimul extant: quoniam omne quod ſimul extat, eius cum quo ſimul extat ſalute ſeruatur, nullã aliam requirens cuſtodiam niſi illius cõſeruationem: illo enim cõſeruato, hoc etiam cuſtoditur: fit vt ſi opus eſt cuſtodia ad cõſeruationem, illud cuſtodiam requi- E rat, præter illius cõſeruationem & ſalutem, quo extãte ſimul extãt ea quæ ſimul cõſtare dicuntur, non quæ ſimul extant. Quæ ſi ita habent, mundus cuſtodiam non requirit, qui ſimul cum Deo extat: ſed Deus ipſe, cum quo

mundus

A mundus extat. Si hoc abſurdum eſt, abſurdum eſt etiam mundum cum Deo extare dicere. Dicẽdus eſt igitur mundus extare Dei voluntate, eiuſdémque voluntate permanere, etiam ſi non ſemper eodem modo ea quæ alio extante ſimul extant, illo manente permaneant, veluti vnà cum linearũm cõpoſitione anguli cohærent, manentéque compoſitione manent etiam anguli, & ſublata compoſitione, anguli quoque tolluntur. Et ſi opus eſt manere angulos, neceſſariò danda eſt cuſtodia linearum compoſitioni, non angulis per ſe, ſed angulis quidem per aliud, per ſe autem angulorum compoſitioni. Ex his intelligendum eſt, mundúſne vnà cum Deo
B extet, vt iſti placet.

Interrogatio Chriſtianorum.

Si Deus eſſentia, non voluntate facit, veluti ignis per ſe & eſſentia ſua calefacit: quomodo ipſe ſimplex quiddam eſt & vnius formę, & tamen diſſimilium diuerſarúmque naturarum effector eſt?

Reſponſio Gentium ad Chriſtianos.

NOn exiſtimare debemus quẽadmodũ innobis aliud eſt eſſe, aliud eſt velle, ſic etiã in Deo, ſed idẽ eſt ἀτεχνῶς, id eſt planè in Deo & eſſe & velle. Quod enim eſt, etiam vult, & quod
C vult, eſt: nec vlla diuiſio & diſtinctio eſt in Deo ex eo quòd ipſe per ſe ac ſponte extitit. Diſtinctio igitur inter ſtatum & voluntatem Deo detrahenda eſt. Non tamẽ eodem modo Deus per ſe & eſſentia ſua, quo ignis, facere ponendus eſt. Ignis enim etſi eſſentia ſua & per ſe calefacit, tamen aduentitium habet calorem. Deo autem nihil nec vt ita dicam, eſſentialiter, nec fortuitò accidit. Quoniam igitur nihil ei accidit, in eóque eſſe & velle idem ſunt, ſimplex eſt & vnius naturæ atque formæ, réſque facere ſine generationis lege poteſt. Vt enim videmus ea quæ generata ſunt, veluti hominem certum qui generatus eſt, cùm genitus ſit, efficere ea quæ generari poſſunt, vniuerſéque ea quæ genita ſunt cùm gignendi lege ac ratione facta ſint, generare, & quæ generant ex ſe
D facere: ſic DEVS cùm ingenitus ſit, ſine gignendi more & lege facit omnia, non dum gignuntur, ſed dum cohærent: ac poteſtatis quidem infinitate diſſimilia efficit, ſed Deum non humano more conſyderemus. Non enim vt nos primùm aliter habentes, deinde in aliud mutati facere dicimur, ſic Deus facit, ſed propter excellentem vim ſine tempore omnia efficiens, omnia abſoluit & perficit. Idémque ſimul atque eſt, ea etiam quæ ſunt facit, nec ei opus eſt ſicuti nobis, vt priùs genitus ſit & perficiatur, atque ita demum faciat quod poſterius eſt, propterea quòd in eo nihil prius poſteriúſque reperitur. Videmus quidem naturam per ſe eſſentiáq; ſua facientem, vniuerſæq; mutationis efficientem, veluti exem-
B pli cauſa in lactis concretione ſimul lacti præſentem concretionem animaduertimus. Multò igitur magis Deus vniuerſè & ſine tempore omnia facere iudicandus eſt, ita tamen vt vnum ſit, poteſtatíſque infinitate ea quę diuerſa ſunt in lucem proferat, & illa ipſa omnino ſponte ac per ſe in lucem proferantur.

Reprehenſio reſponſi quod non rectè datum eſt. A

NOn exiſtimandum eſt,inquit,vt in nobis aliud eſt eſſe,aliud
velle,ſic eſſe in Deo.Quod enim eſt,etiã vult,& quod vult,
eſt:nec vlla in Deo diſtinctio eſt,ex eo quòd per ſe in lucem
profertur.Eſt igitur ſtatus & voluntatis à Deo exterminãda
diſtinctio.Cùm Dei eſſentia ad vitam referatur,& voluntas
ad effectionẽ,qui eſſentiæ conſiliíque differentiam repudiat, is vitam etiã
Dei reſpuit,& effectionem:vitam quidem ipſius, eorum autem quæ non
ſunt effectionem.Aliud autem eſſe Dei eſſentiam,aliud conſiliũ & volun- B
tatem declarat is qui reſpondit, qui cùm ait , Quod enim eſt,etiam vult,
quódq; vult,eſt,& eſſentiæ conſilium,& cõſilium eſſentiæ quaſi ex altera
parte voluit reſpondere. Oppoſitio autem fieri non poteſt, niſi ea quæ è
regione reſpondent vel numero & re,vel ratione diuerſa ſint. Quod au-
tem vnum eſt numero,nihil obſtat quò minùs aliud atque aliud ſit,vt re-
cta linea re quidem & numero vna eſt,ratione autem rectę & lineæ aliud
atque aliud. Hoc quidem modo Dei natura ab eſſentia & conſilio ratio-
ne non differt.Si aliud eſt eſſe,aliud ineſſe,éſtque Dei eſſentia,& in eſſen-
tia conſilium ineſt: alia eſt profectò Dei eſſentia , aliud eius conſilium.Si
Dei conſilium ex eius eſſentia prodit , & eius eſſentia non ex voluntate: C
alia eſt Dei eſſentia,aliud conſilium eiuſdem.Dei eſſentia non poteſt non
eſſe,Dei autem voluntas non velle poteſt,veluti volebat Deus ſolem vnũ
creare,alterum ſolem creare noluit,propterea quòd quemadmodũ eorum
quæ ſunt intererat vnum eſſe ſolem, ſic non expediebat eiſdem alterum
ſolem fieri: quod vtile erat volebat, quod non expediebat, non volebat.
Quod ſi eſt,alia eſt Dei eſſentia,alia voluntas . Si quod Deus eſt,id etiam
vult,perſpicuum eſt eum ſub voluntatem cadere,non eſſe voluntatẽ. quo
igitur modo idem eſt voluntas,quod eſſentia, cùm id quod ſub volunta-
tem cadit, & voluntas ipſa differant, quemadmodum aliud eſt quod ſub
ſenſum cadit,aliud ſenſus?Si Deus principio caret éſtque æternus:nec per D
ſe in lucem proferri poteſt,nec per aliud.Quod enim planè per ſe & ex ſe
in lucem proferri poteſt,id nulla ratione æternum eſt,nec principio caret.
Is qui reſpondit,alio verbo Dei eſſentiæ voluntatíſque diuerſitatem diffe-
rentiámque tollit,alio eandem ponit.Tollens enim eſſentiæ Dei & volũ-
tatis diſtinctionem,dicebat,Non putandum eſt,quemadmodum in nobis
aliud eſt eſſe,aliud velle,ſic etiam eſſe in Deo. Ponens autem eorũ diſtin-
ctionem, ait,Sed idem ἄντικρυς ſunt : Et rurſus, Eſſe autem & velle idem
ſunt in Deo.Vt enim diuerſum aliud,ab alio diuerſum eſt, ſic quod idem
eſt aliud vt ita dicam,alij planè idem eſt.eodémq; modo τὸ ἄντικρυς planè eſt
ἄντικρυς aliud alij . At ſi idem eſt eſſentia Dei , quod voluntas , ἄντικρυς E
erit aliud atque aliud . Sin minùs, alio atque alio ſublato, neceſſariò tol-
letur eſſentiæ Dei ac voluntatis,& τοῦ ἄντικρυς , vt ita dicã,identitas.Quem-
admodum moueri motus eſt actio, ſic eam velle actio eſt volũtatis : quæ-
que eſt inter vim & actionẽ diſtinctio,eadẽ eſt inter velle & volũtatẽ. Fieri
autem

A autem non poteſt, vt velle à voluntate differat, nec ab eo qui vult differat.Quòd ſi nulla ratione fieri poteſt, vt idem ſint velle,voluntas, & qui vult:perſpicuum eſt eum qui adimit Deo velle aliud atque aliud,agentis & actionis adimere diſtinctionem,quod abſurdum eſt. Si aliud eſt quod per ſe conſtat,aliud quod non per ſe cohæret,& illud Deus eſt,hoc autem velle,non eſt dubium quin is qui velle aliud atque aliud Deum non vult: aut id quod per ſe conſtat detrahat,aut quod per ſe non conſtat.Si ratione contrarij,quod Deus eſt,etiam vult, & quod vult eſt: perſpicuum eſt, niſi velit Deus ſuam actionem interire,eam cùm finita eſt eo volente non
B interire.Non igitur eſt Deus id quod vult.Si facere eſt Dei volũtatis,perſpicuum eſt, quemadmodum inter facere omnino, & facere qualia, vel quanta,vel aliquando intereſt, ſic eſſe & velle differre. Non tamen ita Deus ponendus eſt facere per ſe & eſſentia ſua,vt ignis calefacit. Ignis enim etſi vt ita dicam,eſſentialiter,tamen aduetitium habet calorem. Deo autem nihil nec eſſentialiter accidit,nec fortuitò. Quoniam igitur ei nihil accidit,& eſſe ac velle idem in eo ſunt:ſimplex eſt vniúſque formę,facítque res non more generandi. Dicat iſte vt volet quemadmodum igni calor accidat.Neque enim hoc quæritur,quomodo ei calor acciderit, ſed
C de actione quæ ſub voluntatem non cadit, agitur, qua per ſe & eſſentia ſua agit.Velle aut eſſentiæ eſt,aut ineſt in eſſentia. Si eſt eſſentia, non eſt qui vult:ſi in eſſentia ineſt,aliud atque aliud ſint neceſſe eſt.Neque enim id quod eſt,& id quod ineſt,idem ſunt. Si multa vult Deus,multa autem non eſt,non idē eſt eſſe & velle in Deo.Deus ſi omnia quæ efficere vult, facere poteſt,nec quæ poteſt facere,facere vult omnia: eſſe & velle in eo idem non ſunt.Si Deus vnum eſt ſimplex, & vnius formæ, multa autem vult,& multa non vult,veluti vult varietate quidē multa eſſe ea quæ ſunt, eadem verò multitudine infinita eſſe non vult: non idem ſunt in eo eſſe atque velle. Si Deus id quod eſt non facit, idémque facit quod vult, & mundum vult facere:eſſe & velle non idem ſunt in eo.Si ea quæ genera-
D ri non poſſunt,ἀγεννήτως non fiunt,Deus ea quæ generari non poſſunt,ἀγεννήτως non facit. fieri enim non poteſt, vt quod generari non poteſt, fiat. Vt doctrina docentis eſt in diſcente actio,ſic effectio actio eſt facientis in eo quod efficitur. Qui ergo originem ei quod fit adimit,is adimit etiam effectioni facientis actionem. fruſtra Deus agit effectionem, nulla re ſubiecta quę fiat. Si ἀποιήτως Deus non facit:nec ἀγεννήτως facit. Hoc tuum,Deus facit,affirmatio eſt effectionis:illud autem, Deus ἀποιήτως facit,poteſtate eſt affirmationis negatio.pugnantia verba ſunt,quod origine caret, & quod fieri poteſt. Si eſt effectione ingenitum, non eſt ingenitum id quod non effectione eſt. Nihil intereſt,dicamus,qui fecit, & quod fiebat, non gi-
E gnebatur,an illud,Deus facit ea quæ gigni non poſſunt. Si rectè dicitur, Deus ἀγεννήτως ingenita facere, rectè etiam illud dicetur, ἀγεννήτως ingenita gignuntur. γίνεται enim ex eo quod eſt fieri,conſequens eſt naturali neceſſitate.Si ſecundum abſurdum eſt,& primum.Si gigni ad tempus pertinet,fieri etiam pertinet.Idem enim efficiunt & valent.fieri enin nō poteſt,

quin dum is qui facit, facit, id quod fit, fiat. Si ἀγεννήτως nihil gignitur, A
nihil etiam ἀγεννήτως fit: gigni enim & fieri, verbo quidem non idem ſunt, re autẽ idẽ ſunt. Si Deus hoc ipſo quòd eſt, facit, neceſſariò facit, quę facit omnia: ſi autẽ voluntate facit, liberè facit: qui verò liberè & iure ſuo facit, omnia, quę vult facit, & qualia vult, & quãdo vult. Si Deus eo ipſo quòd eſt, facit, fruſtra eſt eius voluntas, qua nuſquam vti poteſt. Duo incommoda & abſurda ponit in Deo is qui reſpondit, quòd & rerum effectorem eum nominat, & eum vult ἀγεννήτως facere. Si enim ἀγεννήτως facit, & tamen quod fit, nuſquam exiſtit: nec γεννήτως nec ἀγεννήτως, nec efficienter, nec non efficienter facit. Vt enim nõ efficitur id quod fit, ſić nec efficiẽs facit. Quem- B
admodum, inquit, videmus, ea quæ genita ſunt, veluti hominem qui gignendi more & lege generatus eſt, cùm ſit genitus, ea quæ generari poſſunt, efficere: vniuerſęque ea quæ generari poſſunt, dum generandi lege generata ſunt, ea etiã quæ ab ipſis naſcuntur, genita faciunt: ſic Deus cùm ingenitus ſit, ſine gignendi more facit omnia, non quæ gignuntur, ſed ſimul cohærent. Quiſnam igitur hominem effecit, eum qui, vt iſte ait, gignendi lege effectus eſt, & cùm idem genitus ſit, gignendi lege ea facit, quæ generari poſſunt? Si Deus eſt qui eum effecit, quid cauſæ eſt quamobrem non iſte mentitus ſit, cùm ait, Deus cùm ingenitus ſit ἀγεννήτως ingenita efficit? Si non eſt Deus, quid eſt, cur non aliena curet Deus, conſu- C
lens hominibus, quorum non ſit effector? Quòd ſi abſurdum eſt, Deũ hominis eſſe effectorem negare, abſurdum eſt etiam Deum ἀγεννήτως ingenita facere fateri. Hominem enim qui genitus eſt, ἀγεννήτως effecit. Si cuius pars genita eſt, id totum etiam genitum eſt neceſſariò: pars autem mundi eſt homo qui aduerſarij confeſſione γεννήτως factus eſt, genitus eſt etiam mũdus. Si ingenitus eſt Deus, & ingenita facit: cur non contra commune ingeniti nomen is qui Deum ipſum nulla re diſtinguit, attribuit? Si Deus id quod ipſe eſt, non facit: fieri enim non poteſt: & facit ea quę non ſunt, ea igitur quæ generari poſſunt, efficit, cùm ingenitus ipſe ſit. Non quærimus autem primùm, quomodo faciat, ſed quid faciat. In- D
uento enim illo, quid faciat, inuentum etiam eſt, quomodo faciat. Si ingenitus eſt Deus, & ἀγεννήτως ingenita efficit, idem etiã nullius dominatu oppreſſus, ſine Domini lege ea quæ Dominum non habent, facit. Si abſurdum ſecundum, abſurdum etiam primum eſt. Qui ſine interuallo inter ſe cohærent, eorum nemo alterius effector eſſe poteſt: ſin minùs alter alterius erit effector. Si hoc abſurdum eſt, abſurdum eſt etiam, Deum effectorem eſſe dicere eorum, quæ cum eo nullo interiecto ſpacio cohærent. Si infinita Deus facere poteſt, ſed voluntate: Deus autem diuerſa eſſe non poteſt: vnum enim eſt, & ſimplex, vniúſque formæ & naturæ: & diuerſa vult: non eſſentia facit, ſed voluntate. Si vt cum E
linearum compoſitione cohærent anguli, ſic etiam mundus cùm Deo: neceſſariò & inuitus facit mundum Deus, & per accidens, non per ſe. neceſſariò enim & per accidẽs cum linearũ cõpoſitione anguli cohęrent. Qui facit, id quod non eſt facit. Quod enim eſt, effectorem non requirit.

Si

A Si hoc, non eſt effector Deus eorum quæ cum eo cohærent, vt placet aduerſario. Deus domum non fecit, ſed fecit hominem, eíque vim efficientem domus dedit. Nihil igitur horum ἀγενήτως eſt apud Deum, nec hominis conſtructio, nec facultatis largitio. Duas regulas ſtatuit aduerſarius, vnam in iis quæ ſunt ingenita, & ἀγενήτως faciunt: alteram in effectione eorum quæ generata ſunt, & gignendi lege faciunt: & opera quidem, vt ait, eorum quæ ingenita ſunt, cùm ſui effectoribus ἀγενήτως cohærent: eorũ autem quæ genita ſunt, opera cum tempore coniuncta ſunt. Cùm ergo nihil eorum quæ ingenita ſunt, in tempore faciat, perſpicuum eſt ea quę genita B ſunt, nec facta eſſe ab eo quod ingenitũ eſt, nec poſſe fieri. Sed Deum humano more facere intelligere minimè debemus: neque vt nos priùs aliter habentes, poſteriùs in aliud mutati facere dicimur, ſic Deus facit, ſed vi quadam & poteſtate quæ explicari non poteſt, & quæ excellit, ſine tẽpore faciens, omnia perficit & abſoluit: atque vt primum eſt res etiam facit, nec ei opus eſt, quemadmodum nobis, vt priùs factus ſit, & perficiatur, ac ſic demum faciat, propterea quòd nihil eſt in eo prius & poſterius. Nos quidem prius in poſterius mutamus melioris inuentione. Deus autem nõ eodem modo, ſed vt par eſt, à principio facit, priora in poſteriora nõ mutando. Si enim inſtitueret ab initio ſuperiora in poſteriora mutare, nec mutaret, aut poteſtatis imbecillitas exiſtimaretur, aut eo quod inſtituiſſet C melius inueniret: quorum neutrum in Deum cadit, nec poteſtatis imbecillitas, nec poſterioris quod priore melius ſit, inuentio. Si Deus facit omnia, non quæ fiunt, ſed quæ cohærent, ſuperuacaneum erat eum res quæ ſimul atque ipſe fuit erant, facere. Vt enim ſuperuacaneum eſſet, extante linearum compoſitione, facere angulos: ſic ſuperuacaneum erat, extante Deo cum mundo, mundum facere, ſi fortè cum Deo cohærebat, vt vult aduerſarius. Si ſimul atque Deus eſt, mundus etiam eſt, mundus autem in motu eſt ſemper, & motus in tempore: in tempore cum mundo eſt Deus. Si Deus qui ingenitus eſt, etiam ἀγενήτως in- D genita facit, non quæ fiunt, ſed quæ cum eo cohærent & extant, ingenitus eſt etiam homo, qui eſt pars mundi. quomodo igitur eum genitum vocat aduerſarius? Si etiam Deus cùm ingenitus ſit, ἀγενήτως etiam ingenita facit, perſpicuum eſt eum etiam qui ſimplex ſit, ſimplicia quę cum ipſo extant, facere omnia. At ſi hoc eſt, non extat cum Deo mundus, qui concretus eſt & ex toto & ex partibus. Si vnum eſt Deus, nec vnum eſt id quod cum eo extat, non extant ſimul cum eo qui ingenitus ſit, ea quæ generata ſunt. Si Deus naturas quæ ratione intelliguntur, & ſub ſenſum cadunt, ſuperat, nec opera facit præter ea quæ animo & ſenſibus percipiuntur: profectò ipſe qui ingenitus eſt, ea quæ orta non ſunt, E non facit. Si fieri non poteſt vt aliquid ſimul cum eo extet & cohæreat, quod vltra illud eſt, ipſúmque ſuperat, quî mundus ſimul cum Deo qui vltra illum ſit, conſtitit? Si ea quæ concreta ſunt, ingenita eſſe non poſſunt, quónam pacto cælum, ſol, & mundus qui concreti ſunt, & aliunde materiam habent, aliunde ſpeciem & formam, carent origine?

Videmus etiam naturã eo ipſo quòd eſt facientem repẽtinámque ſemper A facientem mutationem,veluti in lactis concretione confertim ac repentè in lacte concretionem ineſſe animaduertimus. Multò igitur magis exiſtimandus eſt Deus ſemel ac ſine tempore facere omnia, cùm vnũ ſit & pro infinita vi ac poteſtate diuerſa in lucem proferat,eáque omnino per ſe in lucem proferri poſſint. Natura quidem mutationem ſemel facit, non ad eſſentiæ effectionem,ſed ad effectionem affectionis. Cõcretio enim in lacte,lactis eſt affectio. Eſſentiam autem nuſquam ſemel natura efficit. Quid eſt igitur cauſæ quamobrem non aduerſarius improprio & minùs accommodato effectionis naturæ exemplo vſus ſit in exhibenda Dei quæ tempore careat effectione, qui multarum diuerſarúmque naturarum effector B eſt,quas etſi ſimul ac ſemel efficit,nõ tamẽ ita ſine tempore? Quod enim ſemel fit in tempore,id indiuiduum eſt,punctúmque temporis. Eis quæ ſua ſponte naſcuntur, Dei voluntas non imperat: imperat autem iis rebus, quas ipſa in lucem profert. Atqui ſi in omnibus Dei voluntas dominatur, nihil vltro ac ſponte ſua profertur in lucem. Vltro ac ſponte ſua prolatum eſſe in lucem dicit & Deum & mundum aduerſarius. At ſi per ſe ac ſponte ſua mundus in lucem prolatus eſt,extans ſimul cum cauſa eſſentiæ ſuę, Deus etiam qui per ſe extitit, conſtet ſimul cum cauſa eſſentiæ ſuæ neceſſe eſt. Quod ſi abſurdum eſt,abſurdum eſt etiam fateri Deum & mundum per ſe extitiſſe,& ſine interuallo ac ſpacio conſtitiſſe. Si per ſe Deus C quidem extitit,per accidens autem mundus qui vnà cum eo non cõſtat, quî illud falſum nõ eſt, Nihil Deo accidit, ſi quidẽ Deus per ſe extitit, & mundus qui per ſe extitit,vnà cum Deo cõſtitit? Si ea quæ alicui naturali neceſſitate accidere poſſunt,ei inuito accidũt: quomodo ſi naturali neceſſitate vnà cùm Deo mũdus conſtitit, nõ eo inuito per accidẽs cum eodẽ conſtitit? Si idẽ eſt in Deo velle & eſſe, perſpicuũ eſt Deum in iis non eſſe quæ nõ vult. Quomodo igitur eo nõ extante mundus vnà cum eo cõſtat? Eo enim inuito cum ipſo mũdus extat. Si ingenitus & non factus Deus ἀγεννήτως ea quæ facta non ſunt, facit, incompoſitus etiam incompoſitè ea quæ concreta non ſunt, efficit. Si non ſecundum, nec primum igitur. D Mundus enim concretus eſt. Si Deus diuinè deos non facit, quomodo ipſe qui genitus factúſque non eſt, ἀγεννήτως ea quæ orta & facta non ſunt, facit? Neque enim ſecundum conſtitit, ſed aliud. Aliud eſt Deus,aliud quod factum & ortum non eſt. Illud enim eſt, hoc ab iis quæ orta ſunt, ſeparatur: & Deus faciens eſt, facit, non ſeparatur. Si verò eo etiam quo ſeparatur, facit, non tamen per ſe, ſed per accidens: quomodo Deo nihil accidit,qui per accidens faciat? Si quemadmodum cum ſphæra curuitas,& vt ita dicam, conuexitas cohærent, ſic mundus cum Deo extat: cauſa eſt & DEVS mundi, & mundus viciſſim Dei, ſicuti illa inter E ſe alterum alterius cauſa ſunt. Si nemo voluntate ſua facit, quod inuitus faciat, quomodo voluntate ſua Deus mundum efficit, quem etſi facere nolit, neceſſariò faciat? Si Deus, vnum eſt eſſentia, infinitus autem vi & poteſtate, quǽque ſimul cum eo conſtant, nec vnum

A ſunt eius eſſentia,nec infinira eius vi:cum eo certè ſimul non conſtiterũt.
Deus perfectus eſt ſemper,ſemper potens,& in eo nihil eſt prius,nihil po
ſterius,ſed in eius operibus vrrumque reperitur.Si concrera ſunr eius ope-
ra,omnis autem concrera narura ex ſimplicibus conſtar,nec ſimplices na-
ruræ vnà cum concreris eſſe poſſunr.Primùm enim ſunr ſimplices,deinde
concreræ. Vr Deo poreſtaris imbecillitas crimini dari non poteſt: quòd
non multis mundis effectis, ſed vno finem facir operandi: ſic in Deo po
teſtatis imperfectio reprehendi non poteſt, quòd non ſimul arque fuit,
mundum fecir, ſed cùm voluir. Non differt id quod per ſe conſtirit, ab
B eo quod per ſe factum eſt.Arqui ſi per ſe Deus & mundus extiterunr,per
ſe effecti orríque ſunr & Deus & mundus. Si vt ſimul ac ſemel lacti πα-
ραγινομένην aduenićrẽ cõcretionẽ videmus,ſic ſemel arq; cófertim eſſe mũdo
παραγίνεται: ortus eſt mundus & ex non eſſentia in eſſenriam mutabilis.
παραγίνεσθαι enim γίνεσθαι,id eſt fieri & oriri declarat. Si & Deus per ſe con-
ſtirir,& mundus, vrriuſque illa per ſe cohæſio,& in lucem prolatio prin-
cipium erir vtriuſque vitæ & eſſentiæ. Quomodo igitur principio carent
æterníque ſunr Deus atque mundus,qui illas in lucem per ſe prolationes
eſſentiæ ſuæ ac ſtatus principia habenr? Quod per ſe in lucem prolatum
C eſt, deductionis ac deriuarionis ſignificationem haber eius quod à ſe de-
riuarum & prolatum eſt.Quoniam autem omne quod producirur & qua-
ſi deriuatur, vel præſentia deriuarur & deducirur ex loco in locum mu-
tatione, vel eſſenria profertur effectione quæ ex nihilo in eſſentiam ſta-
rúmque profert: quorum neutrum in Deo ineſt: perſpicuum eſt,cùm nõ
rectè per ſe prolatum in lucem dici ab aduerſario.Quod enim per ſe pro-
latum eſt in lucem,ab eo quod per aliud prolarum eſt,nõ differt eo quod
prorſus per ſe conſtitir.Si id quod orrum non eſt,factum eſſe non poreſt,
fieri non poreſt vr mundus ortu careat, & Deus qui eum effecir. Si verò
eo quòd factus eſt, mundus à Deo differt, neceſſariò eriam eo quòd or-
rũ habet,differr.Mundus enim factus eſt,Deus non factus.Si mundus na-
turali neceſsirare cũ eo cõſtitir qui origine caret, nec effectus eſt:quid eſt
D quamobrẽ nõ illud falſum ſir,effecir Deus mundum ποιητὸν.i.factũ qui per ſe
nec factus,nec ortus eſt?Si per ſe mũdus cõſtirir,nec factus eſt,per ſe eriã effe
ctus ſir neceſſe eſt.quod per ſe ortũ eſt,& quod per ſe effectũ,nõ differr ab eo
quod per ſe prolarũ eſt in lucẽ.Arqui ſi Deus & mũdus per ſe in lucẽ pro-
lati ſunr, per ſe & orti & facti erunt. Quod ſi abſurdum eſt, abſurdũ eſt
eriam fateri,Deum qui principio carer éſtque æternus, per ſe conſtiriſſe,
mundum aurem qui ortum habuit,& per ſe in lucem prolarus eſt,eſſe fa-
ctum. Si per ſe mundus in lucem prolarus eſt, non eſt à Deo prolatus in
lucem: Si à Deo non eſt in lucem prolarus, neque eum Deus in lucem
E prorulir. Quomodo igitur aduerſarius non falſa & incommoda protulir,
cùm ait Deum quidem proferre in lucem,mundum autem per ſe conſti-
tiſſe? Mulrò igirur, inquir, magis Deus purandus eſt, ſimul ac ſemel &
ſine rempore efficere omnia,qui quidem vnum ſir,infinitare aurem pote-
ſtatis diuerſa in lucem proferat, quæ eadem per ſe conſtirerunr. Si eriam

facere & factum eſſe, idem valent & efficiunt, cur adimens Deo, factum eſſe tanquam futuri temporis ſignificationem habeat, nunc eum ponit facere, quod verbum eandem habet temporis ſignificationẽ? Quòd ſi cum futuri temporis ſignificatione verbum hoc facere præteritum etiam tempus declarat, cur in Dei effectione omnes temporis partes minimè continentur? A

Interrogatio Chriſtianorum Gentibus propoſita. 4.

Si fieri non poteſt, vt quod paulò antè non erat, poſteà verò eſt, eadem qua id quod ſemper fuit, æternitate teneatur, quomodo ſi ortus eſt mundus, eiuſdem eſt cuius Deus, æternitatis? B

Reſponſum Gentium ad Chriſtianos.

Perſpicuum eſt quidem fieri non poſſe, vt quod eſt ex tempore (hoc enim verbum declarat id quod non erat anteà, & poſteà eſt) æternum ſit, eiuſdémq; æternitatis particeps, cuius id quod ex omni æternitate. Hoc etiam cuiuis perſpicuum eſt, hac ratione doceri ortũ nõ habere mundum. Si quis autem velit dicere vt veteres quidam mundum ortu carere dicunt, is ſi primo aſpectu & quaſi leuiter rationes conſyderet, iure quidem ac meritò eos qui hoc aſſerunt, reprehendat. At ſi accuratè eorum quæ dicta ſunt fundum inſpexerit, eos mundum ortu carere, planè & apertè cenſuiſſe comperiet. Cùm enim exempla rem & efficientem cauſam originis expertem eſſe tradunt, non eſt id quidem dubium, quin mundum qui earum eſt effectus, planè ortum non habuiſſe cenſeant. Veteres enim ea quæ cum aliquo conferuntur, ſimul eſſe naturæ ordine docuerunt. Quoniam igitur ſimulachrum ad exemplum, & exemplum ad ſimulachrum, & opus ad effectorem, & effector ad opus relata ſimul ſunt ordine naturæ: ſi effector ortus non eſt, & exemplum origine caret: mundus etiam ortus non eſt, qui exempli quidem ſimulachrum eſt, effectoris autem effectus & opus. Ea autem quæ cum aliquo conferuntur, ſimul eſſe natura, planè omnibus demonſtratum eſt atq; inter omnes conſtitit, idémque hinc licet cognoſcere. Dextra enim & læua in ijs ſunt quæ cum aliquo conferuntur. Vt igitur dextrum aliquid eſſe non poteſt, niſi ſiniſtrũ ſit, nec ſiniſtrũ ſine dextro: ſic effector ſine opere, nec opus ſine effectore eſſe vllo modo poteſt. Si ergo effector ortus nõ eſt, opus etiam ortũ nõ habuit. Si quis autẽ hoc obiicere velit, effectorẽ anteceſſiſſe, & opus conſequutũ, is in aliud incõmodũ incidet. Dicet enim effectorẽ nõ re ipſa eſſe, ſed poteſtate, quod aliud nihil eſt, niſi Deum non perfectum dicere: & præterea ſimul conſtare cum effectore opus, quod quidem etiam poteſtate ſit, ſicuti effector, cùm ea quæ cum aliquo conferuntur, æquè cohæreant. Si ergo effector eſt poteſtate, opus etiam eſſe poteſt. Si re ipſa eſt effector, & perfectus eſt, ſimili etiam ratione opus. Perſpicuum eſt igitur omnibus, opus ſimul eſſe cum effectore, quatenus effector eſt. C D E

Reprehenſio reſponſi quod non rectè datum eſt.

Vt aduerſarius in aliis ſuis reſponſionibus mundum ortum non habuiſſe docuit, ſic nunc docturum ſe eſſe profitetur, mundum non habuiſſe ori

ginem

A ginem. Atqui aliis in locis nec ex perſpicuis & illuſtribus eum carere origine docuit, neque hoc demonſtratione poſuit, ſed ſolùm pro ſua authoritate ſententiam ſuam explicauit. Cùm autem ad hanc diſputationẽ venit, in qua reſpondendo mundum non ortum eſſe docere conatur, primũ mentionem facit veterum, qui ortum eum eſſe dixerint, quos iuſta reprehenſione dignos eſſe vult, quòd mundum ortum eſſe tradiderunt, niſi aliis verbis ſuis verba ſua quæ ortum eſſe loquuntur, euerterunt. Hoc verò non iuſtam reprehenſionem tollit, ſed potiùs magnam æquámque reddit reprehenſionem, ſi quis in mundi ortu aientia & negantia
B ponat, ſuâque oratione ſecum ipſe pugnet. Atque hæc quidem dicta ſint, vt doceam non rectè vſum eſſe aduerſarium verbis ſecum pugnantibus, vt mundum non ortum eſſe demonſtraret. Nos autem veterum illorum verba conſyderemus, quibus, vt ait aduerſarius, mundum non ortum eſſe demonſtrant. Hoc etiam, inquit, cuiuis perſpicuum eſt, hac ratione doceri mundum non habuiſſe originem. Si quis autem velit dicere, vt veteres quidam qui mundum ortum eſſe ponunt: is ſi leuiter verba conſyderarit, iure eos qui hoc dicunt, reprehendat. Sin accuratè verborum difficultatem inſpiciat, eos apertè ac planè mundum ortum non eſſe cenſere inueniet. Cùm enim exemplarem efficientémque cauſam ortum non ha
C buiſſe dicunt, perſpicuum eſt eos mundum quoque qui eſt earum opus, apertè ortum non habuiſſe tradere. Si antiqui mundum ortum eſſe ponunt, & leuiter quidem intellectum quod ponitur immutabile manet, rectè autem intellectum in contrarium mutatur: cur non exemplarem efficientémq; cauſam quam ponunt antiqui, conſyderationibus iiſdem ad id quod leuiter intelligitur, quibus ad id quod attentè diligentérque intelligitur, adhibitis, in contrarium mutatis vſus aduerſarius, mundum qui à veteribus ortus eſſe ponitur, in non ortum mutauit, vt eos qui hoc dixerunt, iuſta reprehenſione liberaret? Si hoc factu abſurdum eſt, antiquorũ verba ex rerum natura intelligenda ſunt: non ex diuerſis diſsimilibuſque
D conſyderationibus, quæ in contraria mutent ea quæ poſita ſunt. Si aliud eſt exemplar, aliud id quod ad ſpeciem & exemplum factum eſt, ſimplex eſt enim exemplum, concretum id quod ad ſpeciem & exemplar fit: quod autem hoc modo aliud & aliud eſt, neceſſariò eſt aliàs & aliàs: & quæ aliàs atque aliàs ſunt prius & poſterius, ſimul natura eſſe non poſſunt: non igitur ſimul natura ſunt exemplar, & id quod ad exemplar factum eſt. Qui contrà diſputat, interdum commune opus exemplaris efficientiſque cauſæ mundum eſſe ponit, cùm ait, Perſpicuum eſt, mundum etiam, qui earũ opus eſt: interdum autem eundem efficientis opus eſſe ait, exemplaris verò ſimulachrum. Ex quo perſpicuũ eſt, mundum nec cũ effectore cõparatum
E quatenus ſimulachrum eſt, eſſe in ijs quæ cum aliquo cõferuntur, nec ad exemplar relatum, quatenus opus dicitur. Quod ſi eſt, falſum eſt, earum cauſarum opus eſſe mundum. Si ad exemplar effector mundum efficit, voluntate ſua eum facit. Atqui ſi hoc ipſo quòd eſt eum efficit, ſuperuacaneum eſt exẽplar, cùm Dei ſtatus & eſſentia ſatis magnam vim habeat ad

efficiendũ opus quod agitur, & voluntas antecedit. Nõ enim ea quę ſub voluntatẽ cadũt, efficiũtur, quę inuito etiã effectore fierẽt. Tale enim opus eſt eorũ quę per ſe atq; hoc ipſo quòd ſunt, faciũt. Deus quidẽ ingenitus eſt, exẽplar autẽ ex ſua mente genuit, mundũ verò ex materia ad exemplar effecit. Atqui ſi vt aduerſario placet, quia mũdus eſt opus effectoris, qui ortus nõ eſt, idcirco ipſe etiã ortũ non habuit: exẽplar quoque ortũ non habebit, quandoquidem effectus eſt eius qui caret origine. Quòd ſi abſurdum eſt, & alienum, ortum non habere effectum: abſurdum eſt etiam, id quod ortum ſit, ortũ non habere dicere. Si quia effector ortus non eſt, neceſſe eſt etiam opus carere origine, perſpicuum eſt etiam iſto pacto neceſſe eſſe opus non eſſe factum. Effector enim effectus non eſt. Si hoc abſurdum eſt, abſurdũ etiã eſt mũdũ carere origine. Effectus ab effectore, id eſt ab eo quod ortum eſt, verbo tantùm differt, re autem non differt. Itaque vniuerſe inter ſe reciprocantur, quòd ea æquè ſint. Si quid enim ortum eſt, id etiam effectum eſt: & ſi quid effectum eſt, id etiam ortũ eſt neceſſariò. At fieri nõ poteſt, vt mundus ortus non ſit & ſit ortus. In omni enim re vel affirmatio vera eſt vel negatio. Fieri ergo non poteſt, vt mundus effectus ſit, nec ſit ortus. Si idem bis in alio atque alio ſit, id aliàs atque aliàs fiat neceſſe eſt, veluti exemplar eſt in Deo & in materia: & in Deo quidem non eſt factum, in materia autem factum eſt: & in Deo non mũdus ineſt, ſed mundi ſpecies & exemplar. At ſi aliàs atque aliàs, aliterque atque aliter ineſt, neceſſe eſt etiã vt ſit prius ac poſterius. Si prius ac poſterius, perſpicuũ eſt nõ eſſe eiuſdẽ ęternitatis. Ab antiquis demõſtratũ eſt, ea quæ cũ aliquo conferuntur, ſimul eſſe natura. Quoniã igitur & ſimulachrũ ad exẽplar, & exẽplar ad ſimulachrũ refertur, & opus ad opificẽ, & opifex ad opus: hæc ſimul natura erunt. Si ergo opifex ortũ non habuit, nec exemplar, mundus etiam ortus non eſt, cùm exemplaris ſimulachrum ſit, & opus opificis. Qui antiqui ea quæ cum aliquo conferuntur, ſimul eſſe natura docuerunt, ij ſimulachri tradiderunt definitionem his verbis, Simulachrum eſt, cuius origo ab imitatione ſimilitudinéque ducitur. At ſi mundus, vt aduerſario placet, non eſt ortus, perſpicuum eſt, mundum ſimulachri & nomẽ amiſiſſe & rem, quippe cùm fieri non poſſit, vt mundus ſi ortus non eſt, ſimulachri retineat definitionem. Qui ait opus ortum non habere, quòd eius opifex ortus non ſit, is etiam opus non effectum dicere debet, quãdoquidem eius opifex minimè effectus eſt. Conſequentia enim ſunt inter ſe neceſſariò, atque reciprocantur hæc, quod non eſt ortum, & quod ab opifice effectum non eſt. Si hoc abſurdum eſt, abſurdum eſt etiam opus ortum non eſſe dicere. Si ſimul naturæ ordine ſunt ea quæ cum aliquo conferuntur, ob eámque cauſam, neceſſe eſt opificem & opus eius ſimul non habere originem, vt aduerſario videtur: neceſſe eſt etiam eadem ratione ſimul orta non eſſe dicere, id quod ortum non eſt, & quod habuit originem. Sunt enim hæc in iis quæ cum aliquo conferuntur. Nam & ad id quod ortum eſt, id quod ortum non eſt, & id quod ortum non habuit, ad id quod habuit, refertur. Quòd ſi eo quod ortum eſt, non extante, poteſtate

A teſtate eſt non ortum, id quod ortum non habuit: ſtante autem eo quod ortum eſt, reipſa eſt non ortum id quod origine caret: neceſſe eſt igitur & in opifice & in opere, & in exẽplari & in ſimulachro hoc ipſum eodem modo intelligi,& nullum incommodum ſequi. Quam enim vim & naturam habet id quod cum aliquo confertur in opifice & opere, eandem etiam in eo quod ortum non eſt & quod ortum eſt,habet. Prius etiã atque poſterius in iis ſunt quæ cum aliquo conferuntur. Poſterius enim ad prius refertur,& prius ad poſterius:ſimúlque ſunt natura poteſtate,vel natura reipſa. At ſi,vt aduerſario placet, opus vnà cũ opifice qui ortus nõ eſt,ortum non habuit, quoniam in iis eſt quæ cum aliquo conferuntur, B ſimúlque eſt naturæ ordine, eadem etiam ratione id quod ortum eſt vnà cum Deo qui origine caret,ortum non habuit. Prior enim Deus eſt,poſterius id quod ortũ eſt:ſúntque ſimul natura prius & poſterius, vt quæ ſint, in iis quæ cum aliquo conferuntur. Si verò ſine eo quod aliquando poteſtate eſt,nonnũnquam reipſa,prius & poſterius ſimul natura eſſe non poteſt,neque opus igitur eiuſdem cuius opifex, nec ſimulachrum eiuſdem cuius exemplar,eſt æternitatis particeps. Ea autem quæ cum aliquo conferuntur,ſimul eſſe naturæ ordine planè omnibus demõſtratum eſt,& inter omnes conſtitit,ídque hinc intelligi licet. Dextra enim & læua in iis ſunt quæ cum aliquo conferuntur. Vt igitur dextrum aliquid eſſe non po- C teſt non extante lęuo, nec lęuum ſine dextro:ſic opifex ſine opere,aut opus ſine opifice eſſe nullo modo poteſt. Si ergo ortus non eſt opifex,opus etiam ortum non habuit. Nam ſi vt per eandem eſſentiam dextrum aliquid & lęue in tota parte ſita ſunt inter ſe,ſic opifex & opus eadem eſſentia in tota parte inter ſe reſponderent:locum exemplum haberet,quo vſus aduerſarius,opus vnà cum opifice qui ortus non eſt, ortum non habuiſſe docere conabatur. Nunc verò cùm dextra & lęua per eandem eſſentiam in tota parte ſitum inter ſe habeant, neque opifex & opus ſint eiuſmodi: perſpicuum eſt aduerſarium vſum eſſe minùs accommodato & apto ad D rei naturam exẽplo, quod ad id quod oſtenditur nullam rationẽ habeat, Eorum quæ cum aliquo conferũtur partim alia aliorum ſunt id quod dicuntur,veluti pater filij pater dicitur, & filius patris filius:partim non dicuntur alia aliorum quod dicuntur: vt quod rectum eſt,& quod rotundũ, quorum interdum commune eſt poteſtate dici alterum id quod dicuntur, interdum reipſa. Alia ſunt quorum vtrumque ſemper aut poteſtate aut reipſa eſt, veluti quod concauum eſt & quod conuexum. Alia ſunt reipſa ſemper,vt ſurſum,& deorſum. Quoniã hæc ſunt eorum quæ cum aliquo conferũtur,genera,cùm volumus poſitam quæſtionem explicare eo quod cum aliquo confertur, primùm intelligendum eſt,cuius generis ſit eorum E quæ cum aliquo conferuntur,id quod quæritur:deindę ita demum ex natura illius generis confirmanda eſt ratio quam habeat exẽplum ad id quod exemplo docetur. Aliter enim & exemplum improprium minúſque accõmodatum reperietur,& minùs explicata quæſtio. Si opifex & opus in eo genere ſunt eorum quæ cum aliquo cõferuntur, in quo alterum alterius

id quod eſt viciſsim dicitur: opificis enim opus eſt, & operis opifex: aduerſarius autem cùm docere vellet exẽplo, id quod ortum eſt.vnà cum eo quod ortum eſt, non habuiſſe originem, ad hoc docendum ea quæ cum aliquo conferuntur eiuſmodi ſumpſit quæ alia aliorum minimè dicantur: quod enim dextrum eſt, læui dextrum non dicitur: nec quod læuum eſt, dextri læuum: perſpicuum eſt eum minùs proprio & accommodato exemplo vſum eſſe quod ex eius quòd docetur, natura rationem non habeat explicatricem dubitationis eius quod quæritur ad id quod oſtenditur. Si quis autem hoc obiicere velit, priùs opificem fuiſſe,&opus factũ eſſe poſteriùs, in aliud etiam incommodum incidet. Inuenietur enim poteſtate eſſe,non re ipſa opificem dicere,quod quidem aliud eſt nihil, niſi Deum minùs perfectum dicere: & prætereà ſimul extare cum opifice opus,quod etiam poteſtate ſit,quemadmodum opifex,cùm ſemper & vbique ſint ex æquo ea quæ cum aliquo conferuntur. Si ergo opifex poteſtate eſt,opus etiam erit poteſtate. Si autẽ re ipſa eſt opifex,opus etiam erit eodem modo. Perſpicuum eſt igitur omnibus opus vnà cum opifice quatenus eſt opifex, extare. Si vt rationem quæ ab ijs ducitur quæ cum aliquo conferuntur,Deus quatenus eſt opifex,ad opus habet: ſic eandem eorum quæ cum aliquo conferuntur,rationem habet & ad id quod ortum eſt quatenus ortum non habet,& ad poſteriora vt primus eſt,nec quicquam minùs perfectum habet, quatenus ortus non eſt, & quatenus primus: nulla enim ratione Deus quatenus ortus non eſt,non perfectus dici poteſt, aut non perfectus,vt primus eſt,quòd ſit interdum vtrumque poteſtate,id eſt, & non ortus, & primus: ſic fieri non poteſt,vt Deus minùs perfectus ſit, cùm ſit priùs opifex poteſtate. Si verò quia ipſe eſt primùm quidem poteſtate opifex,deinde re ipſa,crimini ei datur imperfectio,neceſſe eſt etiam eundem ex eo quòd primus eſt poteſtate,ortúſque non eſt etiam primùm, deinde eſt re ipſa,accuſari imperfectionis. Quòd ſi abſurdum eſt,crimini dare Deo non originis & principatus imperfectionem, abſurdum eſt etiam in eo effectricis illius poteſtatis imperfectionem reprehendere,quòd non ſimul atque fuit,mundum fecit,ſed pòſt cùm voluit. fieri enim non poteſt, vt qui in aliqua ratione eorum quæ cum aliquo conferuntur,minùs perfectus ſit, non etiam ſit minùs perfectus eodem modo in cæteris omnibus eorumdem rationibus.

A B C D

Quæſtio Chriſtianorum poſita Gentibus, 5.

Si cælum ortum non habuit,& Deus non eſt ortus,cælúmque Deus incolit: quomodo Deus qui in non ſuis habitat, non contumelia afficitur? Quod enim cælum non effecit,id eius non eſt.

Reſponſio Gentium ad Chriſtianos.

DEVM quidem nõ ortum eſſe,cælúmq; nõ habuiſſe ortum, perſpicuum eſt & ex ijs quæ modò dicta ſunt, & ex ijs quæ à multis firmiter demonſtrata ſunt. Non eſſe autem conſentaneum dicere,Deum in cælo habitare, nunc videamus. Primùm enim id quod incolitur,ad ſalutem cultoris comparatum eſt. Ita mundus quidem E

eſt

A eſt domicilium, Deus autem eius cultor: perſpicuum eſt, & mundum ſeruare Deum, & Deũ à mundo ſeruari, quo nihil eſt abſurdius: præſertim cùm id quod melius eſt, deterius complectatur, & quod deterius eſt, contineatur à præſtantiore. Atqui id quod incolit, ab ea re quæ incolitur, continetur. Deum igitur domicilium continebit: eritque iſto pacto Deus deterioris conditionis, opúſque melioris, præſertim cùm id quod cõtinetur, in loco ſit, & omne quod in loco eſt, corpus ſit: ex quibus efficitur, ſi Deus in loco ſit, eum eſſe corpus. Quomodo igitur maius corpus continebit corpus quod minus eſt, quatenus continetur? abſurdum dictu eſt. Quod autem
B incolit, in loco, exempli cauſa in domo contineri cuiuis etiam cæco hîc notum eſt. Quid ergo, inquies, quomodo Homerus opificis domicilium in cælo eſſe dicit? an quòd vbique in mundo cùm Dei illuſtrationem vidiſſet, mundum Dei domicilium vocauit, tanquàm omnis opificij poteſtatiſque Dei receptaculum? propriè autem cælum vocant, quod inter omnes ſummam totius mundi partem cælum eſſe conſtet?

Reprehenſio non rectè data reſponſionis.

NON EST hominum qui ex cognitione ſcientiáque naturæ rerum ea quæ de Deo & de mundo dicuntur, firma demonſtratione docent, ſed audacium, qui temere & impudenter ſuã
C de Deo mundóque ſententiam pronunciant, dicere tum opificem Deum mundúmq; nõ eſſe ab opifice effectũ: quod enim ab opifice effectum non eſt, idẽ valet quod id quod ortum nõ habuit, & eorum quæ idem efficiunt conſequens eſt tranſumptio: tum illud, Deum qui non ſit effectus ea facere quæ ab opifice effecta non ſint: quod quidem idem efficit quod illud, Deum qui ortus non ſit, ἀγεννήτως ea quæ orta non ſunt facere: tum illud, æternum eſſe Deum, ſed eius æternitatis ſocium eſſe mũdum: & ex eo quod non erat in id quod eſt Deum atque mundum per ſe quaſi in lucem profecti: Quod enim per ſe in lucem profertur, in Deo & in mundo hoc declarat: illud etiam, per ſe in lucem prolatum mundũ
D eſſe, & per ſe conſeruari: Quod enim à Deo conſeruatur, id declarat, quòd ab altero cuſtoditur: alius enim eſt mundus, alius Deus qui mundum tuetur, qui cùm per ſe conſtiterit, eum etiam neceſſariò per ſe cõſeruatorem eſſe oportuit: tum illud, Deum ac mundum ortos non eſſe & per ſe atque à ſe ortum habuiſſe: Quod enim per ſe paratum eſt, & conſtitit, cùm in Deo & in mundo dicitur, declarat id quod per ſe & à ſe ortum habuit: & illud, Deus qui ea quę hîc ſunt effecit, & rurſus, hoc nõ effecit: Tẽporis enim eſt vt effecit, ſic qui fecit: illud quoque, ex æternitate ſine interuallo ſimul cum Deo extitiſſe mundum, qui per concretionem ex materia & ſpecie γεννήτως ſtatum ab opifice acceperit: illud etiam, non poſſe interire, & poſſe
E interire mundum: non poſſe quidem interire eò quòd ſit, poſſe autem interire quòd cuſtodiatur: illud etiam, fieri mundum, & quod ortum habuit, in tempore eſſe, quódque in tempore ſit, interire: illud prætereà, mundum omnis Dei effectionis atque poteſtatis eſſe receptaculum: & illud, Deum eorum quæ intereunt, opificem non eſſe: Deus enim aduerſatij ſententia

nihil facit in tempore: ea autem quæ orta ſunt, & ſunt ex tempore, eiuſdem ratione ſemper interire poſſunt: Hæc, inquam, quæque ſunt eiuſdem generis defendere & aſſerere, eorum eſt hominum quos dixi. Reprehendere autem & vituperare verbum quo Deus cælum incolere dicitur, vt Deo indignum, hominum eſt qui ſenſum habent eorum quæ abſurdè dicuntur. Verbum enim quod malè ſonat, malę etiam ſignificationis habet intelligentiam. Nos autem in quæſtione eum modũ Dei in cælo mãſionis non poſuimus, quem aduerſarius reprehendit, ſed illud, Si cælum or tum non habuit, non eſt Dei. Qui Deum in eo habitare dicunt, contumeliæ Dei cauſa dicunt, qui cælum quod eius non eſt, incolat. Domum A
porrò ſoliúmq; Dei cælum dicimus, no quòd eo ſit Deo opus ad domiciliũ B
vel ſedẽ, cùm incircũſcriptus ſit, nec quicquã penitus requirat & deſyderet: ſed ne conſyderata eius eſſentiæ magnitudine, & natura eius quæ nõ interit, Deum illud, vel eodem honore dignum, quo Deum exiſtimemus: idcirco ipſum Dei & domum & ſolium nominamus, híſque nominibus illud ab omni ſocietate quæ ei cum Deo ex eſſẽtia & eſſentiæ nominibus ſit, ſeiungimus. Vt enim domus atque ſolium poſteriora ſunt artifice, ſic cælum Deo poſterius eſt, vt quod factum eſt, ab eo qui ortum nõ habuit. Quòd ſi nunc illud non interire dicimus, nõ tamen idem συνωνύμως, id eſt C
eadem qua Deum verbi ſignificatione interire non poſſe dicimus. Deus enim qui non eſt creatus, ſed æternus, ex natura ſua hoc habet, vt interire non poſsit. Cælum autem quod creatum eſt, à Dei voluntate habet, vt nõ intereat, ad vſum eorum quæ videmus, quo vſu expleto in aliud immortalitatis genus transferetur. Deus enim qui ei corporis magnitudinem tribuit, quantam voluit, non quantam potuit, poterat enim multò maius illud efficere, quàm ſit: nunc ipſum in ſuo immortalitatis genere ac termino manere voluit ad illud tempus, cùm, vt & Chriſtiani qui rectè ſentiunt, credunt, & ij qui Deum ex doctrina Dei qui ei cognitus eſt, cognouerunt, D
& aduerſarius fatetur, res omnes in meliorem ſtatum mutabuntur.

IOACHIMI PERIONII BENEDICTINI CORMOERIACENI COMMENTARII IN LIBRVM IVSTINI MARTYRIS, QVI inſcriptus eſt, oratio parænetica, ſiue adhortatio.

HVNC iam libellum ſiue orationem ex Græco in Latinum ſermonem conuerteram, cùm eam à Ioanne Franciſco Pico Mirandulano ad noſtrorum hominum cognitionem trāſlatā eſſe, & in magno quodam volumine quod μικροπρεσβυτικὸν: id eſt, paruos veterum libros complectens, inſcriptum eſt, inter multas veterum lucubrationes extare amici cuiuſdam literis fio certior. Itaque primo quoque die ab illo peto maiorem in modum, vt librum illum ad me quamprimum Lutetia Cormœriacum mittat. Eum ſimul atque nactus ſum, vnà cum noſtro diligenter conferre cœpi, vt intelligerem (id quod omnibus qui aliquid vertere ex alio ſermone volent, faciendum cenſeo) quantùm inter meam & illius intereſſet interpretationem, atque vter veriùs ac fideliùs Iuſtini mentē ſententiámque explicauiſſet. Vter meliùs interpretis functus ſit officio, non eſt meum pronunciare. Hoc tamen videor poſſe dicere me, qui Homeri, Platonis aliorúmque antiquiorum verba quæ Iuſtinus ipſe multa & crebra profert, in ipſis ſcriptoribus inuenta legerim, multa loca corrupta correxiſſe multáque impleuiſſe, quæ mutila & minùs plena offenderam. Quod quidem his commentariis docere conſtitui, vt & officij mei ratio conſtet, & ſtudioſis diſcendi aliqua ex parte prodeſſe poſſim. Atque hæc quidem hactenus, nunc ad ſuſceptum opus veniendum eſt.

Ἀρχόμενος τῆς πρὸς ὑμᾶς παραινέσεως, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, εὔχομαι τῷ θεῷ, ἐμοὶ μὲν ὑπάρξαι τὰ δέοντα πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν, καὶ τὰ ἑξῆς, id eſt. Principio orationis, qua vos mihi admonendos cenſui, Gentes, precor a Deo, vt & ea mihi ſuppetant, quæ apud vos dicenda ſunt: & quæ ſequūtur. Non eſſe verbùm ex verbo reddendum vel ex hoc loco intelligi poteſt. Si enim dicam, incipiens ſiue exordiens erga vos admonitionem, & cætera, nec latina, nec ſuauis erit oratio. Neque enim hoc dicendi genus, Mea in te vel erga te admonitio, latina conſuetudo patitur. Sed admonitio qua apud te vtor. Itaque πρὸς ὑμᾶς malim hoc loco, apud, vel ad vos quàm erga dicere. Imitari mihi videtur Iuſtinus principium orationis, qua Cteſiphontem defendit Demoſthenes. πρῶτον μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις, ὅσην εὔνοιαν ἔχων ἐγὼ διατελῶ τῇ τε πόλει καὶ πᾶσιν ὑμῖν, τοσαύτην ὑπάρξαι μοι παρ' ὑμῶν εἰς τουτονὶ τὸν ἀγῶνα, & quæ ſequuntur, id eſt, primùm viri Athenienſes, deos deáſque omnes precor, vt quantam ego ſemper beneuolentiam & in remp. & in vos omnes habui, tanta à vobis in hac cauſa ſuppetat. Hoc penè ad verbum dixi, non iis verbis quibus in illa tota conuertenda vſus ſum. Hoc, inquam, principium quadam ex parte Iuſtinus imitatus eſt, ſed non Demoſthenis de diis ſequutus eſt ſententiam. Deum enim precatus eſt, non deos, de quorum multitudine ſententias Orphei, Homeri, aliorúmque veterum teſtimoniis & in hoc libro, & in eo qui de Monarchia Dei inſcriptus eſt, quòd apud Gentes, id eſt, eos qui nec Chriſtiani ſunt, nec Iudæi, dicat, refellit. Ἕλληνες enim verbum à b. Paulo mutuatus eſt, quod quoniam noſtri, Gentes ſemper dixerunt, eo vti cogimur, aliíſque permultis, quæ Theologi primi vſurparunt pro latinis: de quibus alio loco dicendum erit. Hæc autem oratio in deliberandi genere verſatur: admonitio enim pars eius eſt quædā. Itaque in eam eædem ferè partes cadunt, veluti honeſtū, inhoneſtū ſiue turpe: vtile, inutile, facile, difficile: cætera autem ad hęc omnia referūtur. De quibus vt quicque admonitionis indigebit, diſſeremus. Conciliat animos eorum apud quos dicit, ſiue quos admonet, à perſona ſua, cùm Deum precari ſe dicit, vt ea ſibi ſuggerat & ſuppeditet, quæ apud eos dici debent. Ita de rebus eis neceſſariis ſe dicturum pollicetur. Sed quoniam non de iis quæ eis neceſſaria putet, ſed quæ Deo probentur, ſe apud eos dicere velle ſignificat, non eſt dubium, quin

maiorem habeat vim hæc conciliandæ beneuolentiæ ratio, quàm ſi omnino atque, vt ita dicam, ſimpliciter ſe de rebus ad eos pertinentibus dicturum polliceretur. Nam & mores ſuos virtutémque commendat, & fidem ſuam, quòd omnium conſenſu Deus tantùm ea quæ bona ſunt & vtilia ſuggerere ſolitus ſit. Altero primæ circũſcriptionis mẽbro rurſus à perſona ſua animos illorum conciliat. Natura enim ita animo conſtituti ſumus, vt eos amemus qui nos non ſolùm in errore verſari moleſtè ferunt, ſed etiam ſanare volũt, & quaſi in viam reducere. Quoniam autem maiorum erroris mentionem fecerat, quæ abalienare eorum animos ab illo poſſet, propterea quòd natura maiores noſtros ſapientes eſſe ducimus, ob eámque cauſam eorum inſtituta vt præclara & honeſta libenter amplectimur & defendimus: & ſi ea contemnimus, magnum in eos ſcelus admittere nos arbitramur: ne hoc eueniat, quaſi tacitę huiuſmodi eorum obiectioni reſpondens, loco communi, ſiue ſententia docet, nihil eos ſceleris in maiores eſſe admiſſuros, ſi ab eorum errore liberati, quod vtile verúmque ſit, ſequantur. Locus communis eſt huiuſmodi. Neminem eſſe qui non erret aliquando: qui non interdum mala pro bonis, & falſa pro veris approbet. Neminem eſſe qui non longo vſu rerum, diligentíque rerum conſyderatione, ea quæ interdum ac diu vt bona probauerat, tandem aliquando mala eſſe intelligat & iudicet. Sapientis eſt etiam mutate conſilia, & corrigere, ſi ſe erraſſe cognouerit. Ex quibus omnibus hoc ſequitur quod ait. Potuit Iuſtinus hunc locum tractare pluribus, ſed principio orationis, præſertim huius generis, fuiſſet alienius à cauſa. Breuia enim aut ſępe nulla exordia in deliberatione eſſe debẽt, propterea quòd omnes parati veniunt ad ea audienda quæ ſibi eſſe vtilia exiſtimant. Itaque his tantùm duabus comprehenſionibus principium omne concluſit.

ἐπεὶ τοίνυν ἡμῖν ὁ περὶ τῆς ἀληθοῦς θεοσεβείας πρόκειται λόγος, &c. id eſt, Quoniam igitur nobis de vera religione oratio proponitur) propoſitio eſt eius rei de qua dicturus eſt, quæ narrationis locum & vim obtiner ferè in deliberationibus. De vera religione, id eſt, vero Dei cultu dicturum ſe eſſe pollicetur, qua nihil præſtantius exiſtimat conſtitutum eſſe ab iis, quibus certũ eſt vitam tutò ac ſine periculo metúque iudicij degere. Iudicium quod futurũ eſt, cauſam eſſe dicit, cur verã religionem ij qui tutò vitam ágere conſtituerunt ſequãtur, propterea quòd qui veram religionem ſequuntur, Dei præceptis ferè parent: vt ſine metu vitam hanc agant, cùm hinc migrauerint, declinatis ſuppliciis, gloriam conſequuntur ſempiternam. Ita non ex vi ſua veram religionem conſyderat & ponderat, ſed ex vtilitate quam affert, propterea quòd magna pars hominum vtilitatis aut detrimenti potiùs rationem habeat, quàm dignitatis: in quibus eos apud quos dicebat, eſſe intelligebat. Sed quoniam multas variáſque vtilitates vera affert religio, ſi rectè ſeruetur: & detrimenta damnáque, ſi ab ea diſcedatur, eam potiſsimùm eius vtilitatem commemorat, quam cauſæ ſuæ prodeſſe poſſe vidit, & quæ omnium eſt maxima. Nam nihil eſt, quod tam homines ad Dei religionem cultúmque impellere poſsit, homines inquam qui vtilitatem ſpectant potiùs quàm dignitatem, quàm ſi intelligãt & bonis gloriã atque præmia, & malis dedecus atque ſupplicia propoſita eſſe cùm è vita exceſſerint: quæ in iudicio futurą ſunt, quorũ altero nullũ bonũ maius, altero nullum malum grauius eſſe aut excogitari poteſt. Hoc loco in Græcis quæ ex bibliotheca regia prima & ſola adhuc quod ſciam prodierunt, νενόμισται in tertia præteriti perfecti numeri ſingularis perſona poſitum eſt. Quòd ſi rectè ſtat, οἶμαι per parentheſin legi debet: neque enim aliter ſtare ſententia vllo modo poteſt. Mihi νενομίσθαι per θ & accentum in ea ſyllaba quam penultimam vocant, legendum videtur, & εἶναι ad verbum οἶμαι pertinere. Dandi autem caſus hic, τοῖς προῃρημένοις pro auferendi caſu cum à præpoſitione poſitus eſt, vt dicere intelligamus Iuſtinum, decretum eſſe ab iis qui vitam à periculis remotam delegerunt, nihil eſſe melius, nihil præſtantius Dei Deorúmve religione. Aliter enim νενομίσθαι verbũ imperſonale quod vocant, habendũ eſſet, quod mihi non placet. Hæc autem, διὰ τὴν μέλλουσαν ἔσεσθαι κρίσιν, ad dandi caſum illũ τοῖς προῃρημένοις referenda mihi vidẽtur, vt ſit ſenſus ab iis qui propter futurum iudicium ſine periculo viuere decreuerunt, nihil pręſtantius, vera religione eſſe conſtitutum: νομίζω enim hoc locò non idem quod exiſtimo declarat, ſed ſancio & ſtatuo.

ἔδοξέ μοι καλῶς ἔχειν, πρῶτον μὲν τοὺς θεοσεβείας ἡμῶν τε καὶ ὑμῶν ἐξετάσαι διδασκάλους, οἵ τι-

νες,

νες, καὶ ὅσοι, καὶ καθ' οὓς γεγόνασι χρόνους: id eſt, mihi præclarum viſum eſt, primùm tam noſtros quàm veſtros religionis magiſtros & doctores conſyderare, qui, quot, & quibus temporibus fuerint). Propoſitioni quam dixi hãc quaſi diuiſionem ſubiicit, quam tota oratione perſequitur: οἱ τίνες ad naturæ quæſtionem, ὅσοι ad quantitatis, καθ' οὓς χρόνους ad temporis quam Ariſtoteles πότε, id eſt, quando nominat, pertinet. Sed οἵτινες qualitatis etiam quæſtionem complectitur. Neque enim ſolùm qui fuerint noſtræ atque illorum religionis principes atque magiſtri, exquirit & docet, ſed etiam quales fuerint, cùm alios non ſibi conſtare, alios ſibi conſtare demonſtrat. Quoniam autem ἐξετάσαι, id eſt, conſyderare & exquirere ſe velle dicit, qui, & quot, quibuſque temporibus fuerint, non eſt dubium quin ſtatus huius cauſæ ſit is, quem coniecturalem vocant, in quem eæ quæ circumſtantiæ dicuntur, cadunt. Circumſtantiæ verò ſunt quas modò dixi, qui, quot fuerint, quibúſque temporibus. In naturæ quæſtione docet eos erraſſe in Deorum conſtituenda religione, primùm quòd eos deos eſſe voluerint, quos ex aqua & terra ortos eſſe poſuerint, & in quos animi perturbationes cadere, quóſque libidini deditos fuiſſe, & bella geſsiſſe inter ſe ſcripſerint. Deinde quòd diuerſa de rerum principiis ſenſerint, ex quo maxima eorum ignoratio intelligatur. In temporis quæſtione Moſem docet omnium qui aliquid literarum monumentis prodiderint, eſſe antiquiſsimum, ab eóque omnes quos Gentes religionis ſuæ authores ſibi eſſe dicant, ſi quid rectè dixerint, eſſe mutuatos. Sed de his ſigillatim dicendum erit idoneis locis. Quoniam autem omnes aliena antè refellere, quàm ſua confirmare debent, quòd vetus ac penitus inſita opinio priùs ex animis eorum apud quos dicunt, euellenda eſt, quàm noua quæ contraria ſit afferenda & quaſi imprimenda, (aliter enim nihil virium ad confirmandum vel firmiſsimum quoque argumentum haberet, hominibus in veteri ſententia permanentibus) primùm eorum de diis quos habent & colunt ſententias refellit.

τίνας τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, τῆς θεοσεβείας ὑμῶν διδασκάλους εἶναι φατέ; τοὺς ποιητάς; ἀλλ' οὐ συνοίσει ὑμῖν, &c. id eſt. Quos nam tandem, Gentes, religionis veſtræ præceptores doctoréſque profertis? poëtáſne? At operam ludetis, &c.) Primam diuiſionis partem, qua qui fuerint eorum religionis magiſtri quæri dixi, tractat. Eam autem tripartitam facit, tractátque per enumerationem cum ſubiectione, ſed ſigillatim & ſeparatim tota ferè oratione. Quod quò faciliùs intelligamus, ſcire debemus quid velit refellere. Hoc autem docere vult, eos nullum nominare poſſe religionis ſuæ magiſtrum, cui rectè credi poſsit. Quod planum facit ab enumeratione partium hoc modo. Vos ò Gentes, vel poëtas vel philoſophos, veſtræ religionis quam veram eſſe vultis, magiſtros eſſe iactatis. Atqui nec poëtæ, nec philoſophi, vos veram religionem docere poſſunt. Non igitur religionis veſtræ quam veram eſſe dicitis, vllos magiſtros proferre poteſtis. Vel hoc modo, Si vllos religionis veſtræ quam veram vultis eſſe, magiſtros proferre ac nominare poſſetis, vel poëtas, vel philoſophos, proferretis. Atqui nec poëtas poteſtis nominare nec philoſophos. Nullos igitur. Poëtas primùm conſyderat, idque refellit multis modis: ac de Homero potiſsimùm, quòd in eis apud Græcos qui Gentes erant, principatum obtineret. Primùm à Deorum origine, quos Homerus ex aqua & terra ortos eſſe vult. Ex quo tacitè hanc argumentationem tractat, Non ſunt vt dij colendi vel dij habendi ij qui ex aqua & terra orti ſunt. Ij autem quos colitis ex terra orti ſunt. Non ſunt igitur ij habẽdi dij quos colitis. Propoſitionem nõ probat, quòd perſpicua ſit. Omnes enim Gentes quæ notitiam aliquam habent Dei vel Deorum, vel ortum eorum negant omnino, vel certè eis præſtantiorem tribuunt fingúntque originem. Homerum autem qui apud eos ſummus & primus habetur, potiſsimùm nominat, quòd ſi in Deorum tradenda origine errauit, cæteri etiam erraſſe videantur: ſi non errauit, tales Deos ſuos eſſe quales ille eſſe tradidit, exiſtimare debeant: quorum alterutrum neceſſe eſt. Itaque argumentatio in iis omnibus quæ de diis ſentire Homerum dicit, per enumerationem tractatur hoc modo, Homerus in iis quæ de diis ſcripſit, aut vera ſenſit, aut errauit. Si vera ſenſit, tales deos veſtros quales eſſe dixit exiſtimare debetis: aut ſi illud abſurdum eſt, ſicut eſt, illos ne deos quidem habere. Si errauit, non rectè poëtas veſtræ religionis magiſtros eſſe dicitis, præſertim cùm non

ſolus Homerus, ſed etiam Heſiodus hæc de illis ſenſerit & ſcripſerit.
ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα τηθύν.
Oceanúmque genus Diuûm Tethynque parentem)
Verſus hic ſumptus eſt ex 14. Iliados, qui pendet ex ſuperiore. Accuſandi enim caſus eſt ὠκεανὸν qui ad ὀψομένη illius verbum pertinet. Verba autem ſunt Iunonis ad Venerem, ab ea petentis vt ſibi Cupidinem daret, quo immortales mortaléſque homines omnes domaret, quòd viſura eſſet terram & Oceanum.
ζεὺς, ὅς τ' ἀνθρώπων ταμίης πολέμοιο τέτυκται, id eſt,
Iuppiter, eſt cui hominum belli permiſſa poteſtas)
Adhibenda eſt poſt primum huius verſus verbum diſtinctio, pertinet enim ad ſuperiorem. Verſum autem hunc bis reperi in Iliade, ſemel in quarto libro, iterum in 19. Hoc loco de Iouis potiſsimum & perturbationibus & ſceleribus loquitur, quòd iis demonſtratis facilè quales cæteri dij fuerint, intelligi poſsit. Eſt igitur locus ex maiore. Homerus tam ſæpe Iouem deorum hominúmque patrem ſiue parentem, id quod ait Iuſtinus, appellat, vt non neceſſe ſit id docere pluribus.
ἀλλὰ καὶ ἐπιορκίας τρωσὶ διὰ τῆς αὐτοῦ θυγατρὸς αἴτιον γεγενῆσθαι φησί, id eſt. Sed etiam periurij Troianis per filiam ſuam authorem fuiſſe dicit) Iouis filiam Venerem intelligit, quæ Alexandrum rapuit tum cùm Menelaus gloriam ſingulari certamini propoſitam Troianorum Græcorúmque conſenſu & iureiurando, eo interfecto conſequuturus eſſet. Fidem enim vtrique inter ſe dederunt, cuius iuriſiurandi Iouem cæteróſque deos teſtes eſſe voluerunt, fore, vti ſi Alexander Menelaum ſuperaret, Helenam haberet, omnéſque facultates: ſin Alexandrum Menelaus vinceret, Helenam Troiani omnéſque facultates redderent. Venus autem cùm ſuperiorem Menelaum cerneret, Alexandrum ex periculo ereptum, contra iuriſiurandi religionem, cuius teſtis erat Iupiter, in cubiculo abſcondit, & Helenam acceerſitam in excelſa arce collocauit. Et quoniam Venus Iouis erat filia, hæc patris ſiue conſilio ſiue conceſſu feciſſe exiſtimatur: quod dum fecit, periurij author & cauſa fuit Troianis per illam Iupiter. Hæc omnia qui volet cognoſcere, legat tertium Iliadis librum. Pieus hunc locum nõ intellexit. Neque enim periurio Iouis filia, vt Iuſtinum vult dicere, ſcelus in Troianos admiſit, ſed Iupiter illius opera fecit, vt Troiani periurio ſe contaminauerint, ſi modò periurium dicendum eſt.
καὶ τοῦτον ἐρῶντα, &c. id eſt. Atque hunc ipſum & amantem, &c.) Hæc omnia in Iouem ab Homero relata crimina dum commemorat Iuſtinus, à conſequentibus vel certè ab adiunctis argumentum videtur ſumere. Ex his enim quæ in Iouem cõueniſſe dicit Homerus, obſcurè & tacitè docet Iouem indignũ eſſe Dei nomine. Vt ſi quæratur, Sit ne Iupiter Homeri ſententia habẽdus Deus, ex his quæ Homerus in eum cadere dicit, nõ habendum eſſe demonſtrat. Mihi etiam per inductionem totus hic locus tractari videtur. Si Iupiter Homeri ſententia bello præfectus fuit, ſi periurij author, ſi amoribus deditus fuit, ſi miſer, ſi dolorem ſuſcepit, ſi à cæteris diis inſidiis appetitus eſt, nõ eſt illius ſententia, Deus habendus. Si eiuſdem ſententia & Mars à Venere atque Diomede vulneratus eſt, & idem Mars ab Oto & Ephialte vinctus eſt, & Iuno dextra mamma vulnus accepit, cæteríque dij multa pertulerunt, non ſunt habendi Dei eius ſententia. Primum autem eſt, ſecundum igitur.
ὤ μοι ἐγὼν, ὅτε μοι Σαρπηδόνα φίλτατον ἀνδρῶν
μοῖρ' ὑπὸ πατρόκλοιο, &c. id eſt.
Hei mihi, cùm Sarpedona, quo non charior alter,
Parca mihi ſæuo Patrocli ſuſtulit enſe)
Hi verſus duo ſumpti ſunt ex 16. Iliadis libro. Iupiter autem Iunonem alloquitur.
ὢ πόποι, ἦ φίλον ἄνδρα διωκόμενον περὶ τεῖχος.
ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶμαι, ἐμὸν δ' ὀλοφύρεται ἦτορ, id eſt.
Ipſe virum circum mulctari mœnia amicum
His oculis video, dolor hinc me conficit ingens.)
Hi duo ex 22. Iliadis libro.
ὁππότε μιν ξυνδῆσαι ὀλύμπιοι ἤθελον ἄλλοι, &c. id eſt,

Quando

Quando ipſum ſuperi reliqui vincire pararunt,&c.)
Hi duo ex primo Iliadis. In vulgatis Homeri exemplaribus pro μὴν, quod vitioſè poſitum eſt, μιν, id eſt ipſum poni debet.
καὶ εἰ μὴ τὸν, ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, ὑπέδδεισαν οἱ μάκαρες θεοί, ἐδέδετο ἂν ὑπ᾽ αὐτῶν ὁ Ζεύς. id eſt, Quòd ſi eum quem Briareum appellant dij, beati dij nõ metuiſſent, ab eis Iupiter vinctus fuiſſet.) Hęc verba, καὶ εἰ μὴ τὸν, ſunt Iuſtini, nõ Homeri. Hoc enim, ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, principium eſt carminis, inter quod & ſuperiora apud Homerum primo libro Iliadis interiecta ſunt. Verſum totum proferam, quò res ſit euidentior,
ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, ἄνδρες δέ τε πάντες
Αἰγαίων᾽.
Locum autem hunc corruptum eſſe & ex verbo hoc τὸν, quod niſi à poëtis, pro τοῦτον, ſiue αὐτὸν vſurpari non ſolet, intellexi, & cum Homeri verſibus illum conferens, expertus ſum. Sequitur enim apud illum, verſum eum quem modò totum protuli, hic ferè tertius.
τὸν καὶ ὑπέδδεισαν μάκαρες θεοί. Itaque legendum eſſe arbitror hoc modo, καὶ εἰ μὴ, ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, τὸν καὶ ὑπέδδεισαν μάκαρες θεοί: vt duos hos dimidiatos verſus Iuſtinus ſumptos ab Homero poſuiſſe videatur. Hoc etiam verbum illud μάκαρες declarat, quo tantùm poëtæ vtuntur. Virgilius 10. Æneidum Homerũ imitatus Ægęi mentionem facit his verſibus:

Ægęus qualis, centum cui brachia dicunt
Centenáſque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribúſque arſiſſe, Iouis cùm fulmina contra
Tot paribus ſtreperet clypeis, tot ſtringeret enſes.
οὐ γάρ πώποτέ μ᾽ ὧδε θεᾶς ἔρος οὐδὲ γυναικὸς
θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι περιπροχυθεὶς ἐδάμασσεν, &c. id eſt,
Non ira nanque deæ mihi amor, non virginis vnquam
Sic animum fuſus circum præcordia vicit, &c.)

Hi verſus ex 14. Iliadis libro ſumpti ſunt, ſed omiſsi ſunt alij ſex quos ibi his interiectos reperiet, cui ſtudio erit cognoſcere. Vtrum à Iuſtino prætermiſsi ſint dedita opera, an à librariis caſu, alij viderint. Mihi quidem à librariis potius quàm ab illo omiſsi videntur, præſertim cùm interiecti ſint quinque non conſequentes, & ſextus illis aduerbiis primi verſus, πώποτε & ὧδε, reſpondeat. Eſt autem huiuſmodi,
ὡς σέο νῦν ἔραμαι, καί με γλυκὺς ἵμερος αἱρεῖ.
τέτλαθι τέκνον ἐμόν, καὶ ἀνάσχεο κηδομένη περ, &c. id eſt,
Hæc mea que pateris conſtanter filia perfer, &c.
Hi ex quinto Iliadis libro ſumpti ſunt. Sed intelligendum eſt poſt eum cuius principiũ eſt, χαλκῷ δ᾽ ἐν κεράμῳ, quatuor eſſe omiſſos librariorum, vt mihi videtur, negligẽtia.
τόσσος ἄρα κτύπος ὦρτο θεῶν ἔριδι ξυνιόντων, &c. id eſt,
Tantus erat motus diuis certantibus ortus, &c.)
Hi verſus ex 21. Iliadis ſumpti ſunt.
καὶ οὐχ᾽ Ὅμηρος μόνον, ἀλλὰ καὶ Ἡσίοδος, id eſt, nec Homerus tantùm, ſed etiam Heſiodus.)
In libro περὶ θεογονίας, id eſt, de origine ſiue procreatione deorum.
ὥστε εἰ μὲν πιστεύετε τοῖς κορυφαιοτάτοις ὑμῶν ποιηταῖς, &c. Quamobrem ſi fidem habetis ſummis poëtis veſtris, &c.) id eſt, Homero & Heſiodo. Hæc eſt concluſio, quam elicit ex priore membro enumerationis. Membrum autem vnum tãtùm poſuit, quòd illud refellere multis rationibus antè conſtituiſſet, quàm ad alterum veniret. Nam ſi id vna tantùm ratione refellere voluiſſet, ea allata, ſtatim alterũ mẽbrum hoc, ἢ φιλοσόφους; id eſt an philoſophos? poſuiſſet. Concluſio autẽ hæc docilem auditorẽ ſiue lectorẽ parat, ea re patefacienda quæ ex rationibus ſiue teſtimoniis adhuc prolatis effecta ſit. Itaque coniuncta cum eo quod ſequitur, trãſitus vim obtinet. Tranſitus enim eſt, cùm breuiter commemoramus quid egerimus, & quid deinceps dicturi ſimus, lectores vel auditores admonemus. Ex hac verò concluſiuncula facilè intelligimus, quónam referenda ſit huius primi membri refutatio, ſiue reprehẽſio, id eſt, eò vt Gentes ſi poëtas religionis ſuæ magiſtros eſſe dicant, alterutrum cogantur cõfiteri, vt vel eos tales quales Ho-

merus & Heſiodus, quos in primis & ſummis poëtis habent, tradiderunt, eſſe exiſtiment, quod turpe eſt, vel eoſdē ne omnino quidē Deos eſſe credāt, quod verum eſt. Ita fieri, vt poëtas non religionis magiſtros, ſed potius oppugnatores, hoſtes, irriſoréſque fateri debeant. In priore concluſionis membro vis ineſt refutationis. In reprehenſione enim ſiue refutatione quam ἔλεγχον Græci vocant, hoc quæritur, vt ex conceſsis aliquid effici doceamus quod fieri non poſsit, aut abſurdum ſit. Quod Iuſtinus docuit, cùm vt datum à Gentibus accepiſſet, id quod eos conceſſuros eſſe intelligebat, poëtas eſſe religionis ipſorum magiſtros. Eo enim conceſſo, docuit eis neceſſe eſſe confiteri, Iouem quē Deū diſciplina poëtarū ſe habere dicebant, alióſque omnes, & turpiſsimos eſſe, & deditos amoribus, & perturbationibus nō ſolùm agitari, ſed etiam vinci atque ſuperari, quæ in deos cadere vt diis indigna, nefas eſt.

εἰ δὲ τοὺς ποιητὰς παραιτεῖσθε λέγειν, ἐπειδὴ μύθους τε αὐτοῖς πλάττειν ἐξεῖναι φατὲ, &c. id eſt, Quòd ſi poëtas dicere & proferre non vultis, quòd fabulas eis fingere licitum eſſe dicatis, &c.) Principium eſt alterius membri enumerationis, in quo primùm cauſam affert ipſe quam allaturi ſint barbari, & à religione noſtra abhorrentes homines, cur poëtas illi religionis ſuæ principes & magiſtros proferre nolint, id eſt poëtarum licentiam: deinde quoniam eos nolint proferre, quærit quóſnam alios proferre poſsint, aut quomodo eam ſe didiciſſe dicant. Exprimit autem eis confeſsionem ſiue reſpōſionem ratione quæ à conſequentibus ſumitur. Diſcrete enim & ſcite ſunt conſequentia. Negat igitur fieri poſſe vt res tantas támque diuinas cognitas habeant, niſi à doctis antè didicerint. Tum ſapientes & philoſophos quos prolaturos ſciebat, nominat. A primis philoſophis orditur, eorúmque penè omniū qui in magna ſunt gloria & nomine profert de principiis rerum diuerſas contrariáſque ſententias, ex quibus docet facilè intelligi, non eſſe tutum eis qui ſalutem adipiſci velint, exiſtimare veram religionem ab eis diſci poſſe, qui ipſi ſibi perſuadere non potuerint, vt ne inter ſe diſsiderent, nec contrarias ſententias defendere viderentur. Quiſpiam fortaſsis hoc loco mirabitur, cur Iuſtinus varias diuerſáſque philoſophorum de rerum principiis, non etiam, aut non potius de deorum natura, expoſuerit commemoraueritque ſententias, præſertim cùm id agatur. Ego autem id eum feciſſe exiſtimo, primùm quòd ex tanta illorum de rebus paruis repugnantia facilè quantum inter ſe de natura deorum diſcrepauerint, intelligi poſſe putauerit. Deinde ne in eo longiorem orationem poneret, duorum tantùm quos ſummos clariſsimóſq; philoſophos habent, id eſt, Platonis & Ariſtotelis, de Deo ſententias ſibi exponendas cenſuit. Hic totus locus, vt ſuperior, per inductionem tractatur, hoc modo: Si Thales, Anaximander, Anaximenes, Heraclitus, Anaxagoras, Archelaus, ſi Pythagoras, Epicurus, & Empedocles de principiis rerum varia & contraria ſenſerunt, periculoſum eſt credere ab eis veram diſci poſſe religionem. Primum autem eſt. Secundum igitur. Ex minore igitur ducitur argumētum. Si quis volet quid hi omnes de diis ſenſerint, cognoſcere, legat principium primi Ciceronis libri de natura deorum Diogenémque Laërtium.

Ἀλλ' ἴσως οἱ τῆς ἀρχαίας καὶ παλαιᾶς ἐκείνης ἀποστῆναι μὴ βουλόμενοι πλάνης, &c. id eſt, Sed fortaſſe ij qui à veteri & antiquo illo errore diſcedere liberaríque nolunt, &c.) Hoc loco tacitè nonnullorum, id eſt Platonicorum & Ariſtoteleorum obiectioni reſpondet, qui tropus occupatio dicitur. Illi enim non ſuperiorum de rerum principiis, ſed ſuorū ſententias ſequi ſe poſſunt dicere, propterea quòd clariſsimi fuerint, perfectáque virtute præditi. Horum igitur ſententiā refellit docens quàm inter ſe repugnātia de Deo primùm, deinde de rerum principiis ſenſerint.

Ἀριστοτέλης δὲ ἐν τῷ πρὸς Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα λόγῳ, &c. id eſt, Ariſtoteles autem in libro quem ad Alexandrum Macedonem ſcripſit.) Liber hic Ariſtotelis non extat.

Εἶτα, ὥσπερ μὴ ἀρκούμενος ὧδε τῇ κατὰ Πλάτωνος βλασφημίᾳ, καὶ τὸν ὑπ' αὐτοῦ τῆς πολιτείας ἐκβληθέντα ὡς ψεύστην καὶ τρίτον τῶν ἀπὸ τῆς ἀληθείας εἰδώλων, ὡς αὐτός ἔφη, μιμητὴν ὄντα Ὅμηρον, &c. id eſt, Deinde quaſi non contentus ea qua in Platonem vſus eſſet, contumelia, Homerum etiam, qui vt ipſe ait, tertius ſimulacrorum à veritate remotorum imitator erat, &c.) Locus hic obſcurus eſt, atque ex decimo libro Platonis de repub. ex quo ſumptus eſt, corruptus eſſe intelligitur. Platonis verba ſubieci, ὦ φίλε Ὅμηρε, εἴπερ μὴ τρί-

τος

τος ἀπὸ τῆς ἀληθείας εἶ ἀρετῆς πέρι εἰδώλου δημιουργὸς, ὃν δὴ μιμητὴν ὡρισάμεθα, ἀλλὰ καὶ δεύτερος, &c. id eſt, Homere, ſi non es tertius poſt veritatem virtutis in exprimendo ſimulachro opifex, quem nos imitatorem definiuimus, ſed etiam ſecundus, &c. Aliud dicere Platonem, aliud eſſe apud Iuſtinum, intelligere omnes arbitror. Neque enim Homerum dicit eſſe tertium à veritate ſimulachrorum imitatorem, ſed virtutis opificem in ſimulachro. Loci autē explicatio ex ſuperioribus pendet. Tres enim opifices lecti facit, primum Deum qui ſpeciem lecti facit, quem vnum veritatis opificem appellat, ſecundum, fabrum qui lectum ſiue cubile ligneum facit, tertium pictorem qui lectum pingit, quem tertium veritatis opificem, id eſt, tantùm imitatorem nominat, quo in genere poëtas reponit, quòd artes de quibus dicunt, neſciant, ſed eorum tantùm qui eis præditi ſunt, verba orationéſque imitentur. Homerum autem non ſolùm vt mendacem, ſed etiam vt corruptorem ciuium atque cuſtodum, Plato è rep. ſua libro tertio eiicit.

Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι, id eſt,

Iuppiter accepit ſummum ſuper æthera cœlum.)

Verſus hic ſumptus eſt ex 15. Iliadis libro, ex quo eum cùm corruptum in Iuſtino animaduerterem, correxi. Verba ſunt Ennoſigæi Iouis fratris ex Rhea matre. ponendum eſt igitur non ἔλαχεν, ſed ἔλαχ' propter carmen.

τὰς πρώτας αὐτοῦ περὶ ἀρχῶν ἀθετήσει δόξας, id eſt, primas eius de principiis improbabit dānabítque ſententias.) Eſt ἀθετήσει, à verbo ἀθετέω quod improbo ſiue dāno ſignificat, Picus vertit commentus eſt, ex quo aliter legiſſe eum intelligimus. Senſus eſt. Si Ariſtoteles Homeri authoritate confirmat ſuam de Dei domicilio ſententiam, Thalem etiam ſuam de principio rerum eiuſdem teſtimonio eſſe probaturum, damnaturúmque illam Ariſtotelis.

ὠκεανοῦ, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται, id eſt.

Oceani, cunctis qui rebus origo paratur.)

In vulgatis Iuſtini exemplaribus vitioſè ὠκεανὸς in nominādi caſu legitur, neque enim carmen ſtabit. Id quod etiam intelligi poteſt ex 14. Iliados libro, ex quo ſumptum eſt. Somnus enim Iunoni reſpondet ſe poſſe ſedare καὶ ἂν ποταμοῖο ῥέεθρα ὠκεανοῦ, &c. id eſt, fluenta fluminis Oceani.

τοῦ γὰρ πλάτωνος τρεῖς ἀρχὰς τοῦ παντὸς εἶναι λέγοντος, θεὸν, καὶ ὕλην καὶ εἶδος, &c. id eſt, Cùm enim Plato tria vniuerſi principia eſſe velit, Deum, materiem atque ſpeciem, &c.) Plato in Timæo primùm duo principia ponit, vnum vt exemplaris ſpecies, alterū exemplaris imitationem: deinde tertium addit materiem quandam quam ortus omnis vult eſſe receptaculum. Deum autem vt cauſam non nominat in his tribus.

ἀριστοτέλης τοῦ μὲν εἴδους ὡς ἀρχῆς οὐδαμῶς μέμνηται, δύο δὲ ἀρχὰς, θεὸν καὶ ὕλην εἶναι φησὶ, id eſt, Ariſtoteles ſpeciei vt principij nuſquam mentionem facit, duo verò principia eſſe dicit, Deum & materiam.) Niſi εἶδος Iuſtinus eam quam Ideam vocant, intelligat, falſum eſt quod ait, Ariſtotelem nuſquam ſpeciei vt principij facere mētionem. In libris enim de natura, & in iis qui μετὰ τὰ φυσικὰ inſcripti ſunt, ſæpe εἶδος pro forma dicit. Eodem etiam modo refelli poteſt quod ait, duo ab illo principia poni, ſi tantùm intelligat. Tria enim ponit præter Deum, qui efficientis cauſæ vim obtinet, materiam, formam quam ſpeciem & rationem vocat, & priuationem. Agit enim tātùm de iis principiis, ex quibus res conſtant. Quod ait paulò pòſt, Ariſtotelem ſecundum primum deum νοητοὺς θεοὺς ponere, non deos vocat, ſed νοήσεις, id eſt intelligentias ſiue mentes.

πλάτων μὲν γὰρ τριμερῆ αὐτὴν εἶναι φησὶ, καὶ τὸ μὲν λογικὸν αὐτῆς, τὸ δὲ θυμικὸν, τὸ δὲ ἐπιθυμητικὸν εἶναι λέγει. ἀριστοτέλης δὲ οὐ κοινοτέραν τὴν ψυχὴν εἶναι φησὶν, ἐν ᾗ ἂν περιείληπται καὶ τὰ φθαρτὰ μόρια, ἀλλὰ τὸ λογικὸν μόνον,) id eſt, Nam Plato quidem in tres partes diuiſum eum eſſe dicit, quarum vna ſit rationis particeps, altera in qua irarū ardor exiſtat, tertia quæ voluptate alatur: Ariſtoteles autem nō vult tam latè patere animum, dum partes quæ intereunt non cōprehendit, ſed eam modò quæ rationis eſt compos. Nō negatio abeſt in hac vltima circunſcriptione in vulgatis Iuſtini exēplaribus, quam addēdam eſſe & ἀλλὰ, coniunctio quæ ſequitur, & ſententia declarant. Plato animū in tres partes quas Iuſtinus enumerat, tribuit in principio noni libri de repub. verbáque eius omnia con-

uertit Cicero, vt alio loco docui, in primo libro de Diuinatione. Quod autem ait, Ariſtotelem non in eas partes quæ intereunt animum tribuere, ſed eam modò complecti, quæ ſit mentis atque rationis, in primo libro de moribus ad Nicomachum duas eius partes facit, vnam quæ ſit rationis particeps, alteram quæ ipſa non ſit particeps rationis, ſed quæ rationi pareat, vt filius parenti.

καὶ ὁ μὲν Πλάτων, ψυχὴ πᾶσα ἀθάνατος. κέκραγε λέγων· Ἀριστοτέλης δὲ ἐντελέχειαν αὐτὴν ὀνομάζων, οὐκ ἀθάνατον, ἀλλὰ θνητὴν αὐτὴν εἶναι βούλεται. ὁ μὲν ἀεικίνητον αὐτὴν εἶναι λέγει· Ἀριστοτέλης δὲ ἀκίνητον αὐτὴν εἶναι φησὶν, ἁπάσης κινήσεως προηγουμένην, id eſt, Et Plato quidem omnem animum immortalem eſſe clamat, Ariſtoteles autem eum ἐντελέχειαν, id eſt actionem ſiue perfectionem nominans, non immortalem, ſed mortalem eſſe vult. Ille eum ſempiterno motu cieri dicit, Ariſtoteles immobilem, & omni motui antecedere.) Plato cùm multis aliis locis, tum in Phædone animum immortalem eſſe planè & apertè docet. Eundem verò ſempiterno motu cieri ratione docet in Phædro, quam Cicero & in ſexto libro de repub. & in prima Tuſcul. à ſe conuerſam poſuit. Ariſtoteles primo libro de animo refellens eorum ſententiam qui animum ſeipſum mouere dicebāt, cùm multis aliis rationibus animū per ſe moueri nō poſſe docet, tum ex eo quòd cùm quatuor ſint motus genera, is quo res loco mouentur, commotio, accretio & diminutio, iique omnes in loco ſint & fiant, ſi animus ſe ipſe moueat aut vno, aut pluribus, aut etiam omnibus his motibus, efficiatur vt animus ſit in loco, quod fieri non poteſt. Si igitur moueatur aliquo eorum motuum genere, non per ſe, ſed per aliud, vt ij qui in naui ſunt, impulſu nauis moueri. De animi autem mortalitate quam Iuſtinus Ariſtoteli tribuit, hoc dicit de Platonicorū ſentētia, quam ſequitur. Multa quidem loca proferuntur proferríque poſſunt, ex quibus eum mortalem dicere videatur. Sed tamen alia non pauciora proferri poſſunt, quæ eum de eius immortalitate ſenſiſſe & cogitaſſe declarent.

τί τοίνυν αἴτιον τοῦ μὴ πρὸς ἀλλήλους μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἑαυτοὺς στασιάζειν, &c. id eſt. Quænā cauſa eſt, cur non ſolùm inter ſe, ſed etiam ſecum diſcordent, &c.) Poſteà quàm Platonem & Ariſtotelem de multis & inter ſe, & à ſe diſcrepaſſe docuit, nullis tamen prolatis locis, vel quòd apud eos diceret, qui ea omnia nota haberent, vel ne iis proferendis, ſatietatem eis afferret, aut orationē minimè neceſſariam in eo poneret: nunc eiuſmodi eorum diſſenſionis quæ cauſa fuerit, exponit. Interrogatio eſt, & reſponſio contra auditorum opinionem, quæ duo multum valent ad faciendam fidem, atque adeò plus infinitis partibus, quàm ſi cauſam ſimpliciter nudéque explicaſſet.

τὴν γοῦν ἀνθρωπίνην ψυχὴν οἱ μὲν τῶν παρ' ὑμῖν φιλοσόφων, ἐν ἡμῖν, ἕτεροι δὲ περὶ ἡμᾶς εἶναι φασὶ, &c. id eſt, Humanum enim animum nonnulli eorum qui apud vos philoſophiæ laude excelluerunt, in nobis, alij circum nos eſſe ponunt, &c.) Prima eſt hæc partitio & ſumma ſententiarum eorum philoſophorum, qui animus quid ſit, tradiderunt. Alij enim animum in nobis eſſe dixerunt, vt ij qui eum mentem eſſe volunt, alij eum circum nos eſſe, nóſque ambire poſuerūt, vt ij qui eum aëra eſſe dicunt. Vtriuſque generis multæ ſunt partes, id eſt, vtraque diuiſionis pars rurſus in multas partes tribuitur. Eorum enim qui animum in nobis eſſe dicunt, partim mentem eum eſſe ponunt, partim ſanguinem, partim ſpiritum, partim aliud: eorum etiam qui eum circum nos eſſe dicunt, alij aëra eſſe volunt, alij ignem. Atque has quidem diuiſiones Iuſtinus ponit, ne perturbatè & confuſè dicere videatur: principes autem vniuſcuiuſque ſententiæ non nominat, ne tot hominum nominatim expreſſorum commemoratio vel ſatietatem afferat, vel abalienet à cauſa animos eorum apud quos dicit, quaſi de eorū ſiue ſcientia, ſiue memoria diffidere videatur, præſertim cum paulò antè nomina commemorauerit eorum qui de rerum principiis diuerſa contrariáque ſenſerunt. Ego ne quis hoc à me poſtulet, nomina protuli omnium, quorum hic mentionem facit, idque ex Ariſtotelis ſententia. Democritus quidem eum ignem eſſe dicit, Diogenes aëra, Anaxagoras mentem, Heraclitus exhalationem, Pythagoras numerum ſeipſum mouentem, Hippo. aquam ſiue ſemen quod procreet. Qui motum, & vim ex aſtris defluētem animum eſſe dixerint, inuenire non potui.

ὅτι οὖν ἐπιδήλως οὐδὲν ἀληθὲς περὶ θεοσεβείας παρὰ τῶν ὑμετέρων διδασκάλων μαθεῖν ἐστὶ δυνατὸν,

ἀνωτέρω, &c. Quoniã igitur nihil veri de religione à magiſtris veſtris diſci poteſt, &c.) Refutata vtraque parte enumerationis, vna quæ in poëtis, altera quæ in philoſophis poſita erat, nunc ex contrario veram Chriſtianorum religionem eſſe docet. Philoſophos adhuc docuit de multis & inter ſe & à ſe diſcrepaſſe: religionis autem noſtræ magiſtros deinceps nec inter ſe, nec ſecum diſsidiſſe demonſtraturus eſt. Illos erraſſe, quòd per ſe ingeniiſque ſuis freti de rebus & terrenis & cæleſtibus inſtituerint dicere: hos vera docuiſſe, quòd non ſuis freti ingeniis, ſed diuina cognitione illuſtrati ad docendum venerint. Quò autem faciliùs animos eorum ad religionem noſtram traducat, antiquitate ſuperatos à Moſe philoſophos, poëtas & hiſtoriographos, ſcriptorum qui apud illos fuerunt in nomine & gloria, teſtimoniis docet. Eſt autem hic tertia tranſitio. Vis autem argumentationis quæ adhuc tractata eſt, breuiter hoc modo explicari per enumerationem poteſt. Veræ religionis magiſtri & doctores ſunt, vel poëtæ veſtri, vel philoſophi, vel ſapientes noſtri, non poëtæ. Nõ philoſophi veſtri. Relinquitur ergo eos quorum nos diſciplinæ tradidimus, doctores & magiſtros eſſe veræ religionis. Hoc inquam extremum relinquitur ſequitúrque neceſſariò, ſed illud docere vult, quò faciliùs Gentibus id perſuadeat. Vtitur autem comparatione, vt doceat religionis diſciplinæque noſtræ magiſtros eſſe idoneos quibus fides potiùs, quàm ſuperioribus habeatur. Ac primùm temporum comparationem adhibet. Moſem enim multò antè fuiſſe docet, quàm poëtæ fuerint, quam philoſophi & hiſtoriographi Gentium, atque id illorum teſtimoniis, quod ad fidem faciendam valet plurimum. Locus communis hic obſcurè tractatur, Inſtituta antiquiora eſſe præſtantiora.

μετὰ γὰρ τὴν παλαιὰν τῆς κατ' Αἴγυπτον βίου κατάστασιν, &c. id eſt. Nam pòſt veterem in Aegypto vitæ ſtatum, &c.) Verba ſunt Diodori Siculi ex primo libro bibliothecæ, quemadmodum Iuſtinus ipſe dicit, ſed intelligendum eſt ea non reperiri nec in primo, nec in ſecundo, quoniam Diodorus primum librum in duos à ſe diuiſos eſſe commemorat. Hoc autem de iis qui extant à Poggio Florentino conuerſi intelligo. Neque enim Græci Diodori libri vlli in lucem prolati ſunt niſi decimus ſextus & pauci ſequentes, ex quadraginta, quos ſe ſcripſiſſe in totius operis præfatione teſtatur. Ex quo in primo multa abeſſe intelligere debemus, cùm Iuſtinus ex illo eius libro multa verba hoc loco proferat, neque falſò librum illum nominare videatur. Sunt enim in eodem libro poſita ea, quæ tertio ferè verſu ab eo ſcripta dicit de tempore quo quadraginta libros ſcripſit, quãquam paulò ſecus, niſi fortè Poggius errauit. Sunt enim hæc illius verba, Igitur penſitantes hunc ſcribendi modum eſſe vtiliſsimum, verùm plurimo labore egentem, triginta annos in hoc abſumpſimus. Multis enim difficultatibus ac periculis maiorem Aſiæ peragrauimus Europæque partem, quò maiori quæ à nobis deſcripta ſunt, ex parte locis conſpectis certa literis mandaremus.

ὑμεῖς δέ, ἐπειδὴ διὰ τὴν προτέραν τῶν πατέρων ὑμῶν πλάνην, &c. id eſt. Vos autem quoniam ſuperiore maiorum veſtrorum errore cæci, &c.) Relinqui dixi paulò antè ex tota enumeratione, quoniam philoſophos & poëtas non poterant veræ religionis magiſtros proferre, veros eſſe eos quos haberemus. Hoc cùm apud æquos æſtimatores, obtinere poſſet, tamen apud eos obtinere ſe non poſſe dicit, propter antiquum maiorum illorum errorem, in quo ipſi permanere vellent potiùs, quàm Moſi aliiſque qui in eius locum ſucceſſerunt, credere. Progreditur ergo longiùs, neque eos ad primos duos errores, quoniam eos refellit, reuerti patitur, ſed vrget eos rogans, quos alios religionis ſuæ magiſtros proferant. Deinde id quod eos reſponſuros intelligebat, oraculum reſpondet, atque eiuſmodi oraculum, quod eos ad Moſis diſciplinam potuit clàm & occultè impellere, quòd apertè illos ad eam deducere minimè potuiſſet. Hoc autem facit, quòd eos oraculis plus tribuere ſciret de iis quæ ad religionem pertinent, quàm omnium nationum inſtitutis ac legibus. Si hanc extremam interrogationem prætermiſiſſet, & ad Græcorum ſcriptorum de antiquitate Moſis teſtimonia oraculum adiunxiſſet, magis ex arte mihi feciſſe videretur. In ſuis enim confirmandis, aduerſariorum refutatis reprehenſiſque præſidiis, omnes hęrere cõmorarique debent, quod cõmodiſsimè potuit hoc loco Iuſtinus facere, quippe qui enumeratione triũ par-

tium ſit vſus, quarum duabus reprehenſis, tertia hæc neceſſariò, iam vt dixi, relinquitur. Oraculum autem quod profert, nec cuius ſit, nec apud alium legiſſe me recordor. Multum autem ad perſuadendam Gentibus religionem diſciplinámque noſtram valet, eóque magis, quòd illud non aliis acceperint editum, ſed ſibi, rogantibus qui nam veram religionem aliquando coluiſſent, profiterentur. Itaque ſi ita dixiſſet, Quòd ſi mihi fidem non habetis, Moſem, vates, magiſtros eſſe veræ religionis, vel oraculum quod vobis ſciſcitantibus editum eſſe dicitis, hoc vobis perſuadeat, deinde cætera quæ affert, narraſſet, & directa magis fuiſſet probatio, & magis eum re quam probat, cohæſiſſet.

ἀναγκαῖον δὲ οἶμαι καὶ τοὺς χρόνους σκοπεῖν, καθ᾽ οὓς οἱ καθ᾽ ὑμᾶς γεγόνασι φιλόσοφοι, &c. id eſt. Neceſſe autem mihi eſſe arbitror ea etiam tempora notare & conſyderare, quibus philoſophi floruerunt, &c.) paulò antè de Moſis antiquitate dixit, nunc conferr tempora cum temporibus, vt religionem noſtram ex eo quòd multo antiquior eſt ea quam ſe habere dicunt, præſtare doceat, aut potiùs religionis noſtræ doctores ex eo etiam philoſophis atque poëtis eſſe anteponendos. Ibi eoſdem illis anteponendos eſſe docuit, vt dixi, ex contrariis per comparationem. Philoſophi quòd ſuo ingenio freti, ſuámque naturam ducem ſequuti de tam magnis rebus dixerũt, & ipſi inter ſe & à ſe, ſiue iiſdem temporibus & locis, ſiue diuerſis floruerint, diſsiderunt. Noſtri diuina cognitione & permotione illuſtrati, etſi diuerſis temporibus ac locis fuerunt, tamen tanquam ſimul fuerint, vnóque ore loquuti ſint, vnum ſemper idémque ſenſerunt.

γέγραφε γὰρ ἐν τῷ τιμαίῳ, &c. id eſt, Scripſit enim in Timęo, &c.) Me hic locus diu ſolicitum habuit, anxítque animum meum, propterea quòd mihi omnia cohærere nõ viderentur. Tandem verò aliquando cùm locum ipſum in Timæo tertia ferè pagina inueniſſem, multáque in Iuſtino deleta vel prętermiſſa conferens animaduertiſſem, magna lętitia pro eo ac debui non tam mea quàm aliorum cauſa, affectus ſum. Itaque hoc totum hîc indicandum cenſui. Hoc igitur intelligendum eſt, poſt hæc verba, οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδέν, multos verſus omiſſos eſſe, nonnulláque mutata & prætermiſſa eſſe in ſuperioribus. Itaque locum totum proferẽdum cenſui. καί τινα εἰπεῖν τῶν ἱερέων εὖ μάλα παλαιῶν, ὦ Σόλων Σόλων, ἕλληνες ἀεὶ παῖδές ἐστε, γέρων δὲ ἕλλην οὐκ ἔστιν. ἀκούσας οὖν, πῶς τί τοῦτο λέγεις φάναι. νέοι ἐστὲ, εἰπεῖν, τὰς ψυχὰς πάντες, οὐδεμίαν γὰρ ἐν αὐταῖς ἔχετε δι᾽ ἀρχαίαν ἀκοὴν παλαιὰν δόξαν, οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδέν. τὸ δὲ τούτων αἴτιον, τόδε. πολλαὶ καὶ κατὰ πολλὰ φθοραὶ γεγόνασιν ἀνθρώπων, καὶ ἔσονται. πυρὶ μὲν καὶ ὕδατι μέγισται, μυρίοις δὲ ἄλλοις ἕτεραι βραχύτεραι. τὸ γὰρ οὖν καὶ παρ᾽ ὑμῖν λεγόμενον, ὥς ποτε φαέθων Ἡλίου παῖς τὸ τοῦ πατρὸς ἅρμα ζεύξας διὰ τὸ μὴ δυνατὸς εἶναι κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς ὁδὸν ἐλαύνειν, τά τ᾽ ἐπὶ γῆς ξυνέκαυσε, καὶ αὐτὸς κεραυνωθεὶς διεφθάρη. τοῦτο μύθου μὲν σχῆμα ἔχον λέγεται. τὸ δ᾽ ἀληθές ἐστι, τῶν περὶ γῆν καὶ κατ᾽ οὐρανὸν ἰόντων παράλλαξις. καὶ διὰ μακρῶν χρόνων γιγνομένη τῶν ἐπὶ γῆς πυρὶ πολλῷ φθορά. τότε οὖν ὅσοι κατ᾽ ὄρη καὶ ἐν ὑψηλοῖς τόποις καὶ ἐν ξηροῖς οἰκοῦσι, μᾶλλον διόλλυνται, τῶν ποταμοῖς καὶ θαλάττῃ προσοικούντων. ἡμῖν δὲ ὁ νεῖλος εἴς τε τ᾽ ἄλλα σωτὴρ, καὶ τότε ἐκ ταύτης τῆς ἀπορίας σώζει λυόμενος. ὅταν δ᾽ αὖ οἱ θεοὶ τὴν γῆν ὕδασι καθαίροντες κατακλύζωσιν, οἱ μὲν ἐν τοῖς ὄρεσι διασώζονται, βουκόλοι, νομεῖς τε. οἱ δ᾽ ἐν ταῖς παρ᾽ ὑμῖν πόλεσιν, εἰς τὴν θάλατταν ὑπὸ τῶν ποταμῶν φέρονται. κατὰ δὲ τήνδε τὴν χώραν, οὔτε τότε, οὔτε ἄλλοτε ἄνωθεν ἐπὶ τὰς ἀρούρας ὕδωρ ἐπιρρεῖ. τὸ δ᾽ ἐναντίον, κάτωθεν ἐπανιέναι πέφυκεν, ὅθεν καὶ δι᾽ ἃς αἰτίας καὶ ἐνθάδε σωζόμενα λέγεται παλαιότατα. τὸ δὲ ἀληθὲς, ἐν πᾶσι τοῖς τόποις, ὅπου μὴ χειμὼν ἐξαίσιος, ἢ καῦμα ἀπείργει, ποτὲ μὲν πλέον, ποτὲ δὲ ἔλαττον ἀεὶ γένος ἐστὶν ἀνθρώπων. ὅσα δὲ ἢ παρ᾽ ὑμῖν, ἢ τῇδε, ἢ καὶ κατ᾽ ἄλλον τόπον, ὧν ἀκοῇ ἴσμεν εἴπου τι καλὸν ἢ μέγα γέγονεν, ἢ καὶ τινα διαφορὰν ἄλλην ἔχον, πάντα γεγραμμένα ἐκ παλαιοῦ τῇδ᾽ ἐστὶν ἐν τοῖς ἱεροῖς, καὶ σεσωσμένα. τὰ δὲ παρ᾽ ὑμῖν καὶ τοῖς ἄλλοις ἄρτι κατεσκευασμένα ἑκάστοτε τυγχάνει γράμμασι καὶ ἅπασιν ὁπόσων πόλεις δέονται. καὶ πάλιν δι᾽ εἰωθότων ἐτῶν, ὥσπερ νόσημα ἥκει φερόμενον αὐτοῖς ῥεῦμα οὐράνιον, καὶ τοὺς ἀγραμμάτους καὶ ἀμούσους ἔλιπεν ὑμῶν. ὥς τε πάλιν, νέοι ἐξ ἀρχῆς γίνεσθε, οὐδὲν εἰδότες οὔτε τῶν τῇδε, οὔτε τῶν παρ᾽ ὑμῖν, ὅσα ἦν ἐν τοῖς παλαιοῖς χρόνοις. τὰ γοῦν νῦν δὴ γενεαλογηθέντα, ὦ Σόλων περὶ τῶν παρ᾽ ὑμῖν ἃ διῆλθες παίδων, βραχύ τι διαφέρει μύθων. οἱ πρῶτον μὲν ἕνα γῆς κατακλυσμὸν μέμνησθε, πολλῶν ἔμπροσθεν γεγονότων. ἔτι δὲ τὸ κάλλιστον καὶ ἄριστον γένος ἐπ᾽ ἀνθρώπους ἐν τῇ χώρᾳ τῇ παρ᾽ ὑμῖν οὐκ ἴστε γεγονός. ἐξ ὧν σύ τε καὶ πᾶσα ἡ πόλις ἐστὶ τὰ νῦν ὑμῶν, περιλειφθέντος ποτὲ σπέρματος βραχέος, ἀλλ᾽ ὑμᾶς λέληθε διὰ τὸ τοὺς περιγενομένους ἐπὶ πολλὰς γενεὰς γράμμασι τελευτᾶν ἀφώνους. Hæc omnia ſtudioſorũ diſcendi

di cauſa,eorúmque qui Græcè neſciunt,conuertam,Dixiſſéque quendam ſacerdotem admodum ſenem,O Solon,Solon,Græci pueri eſtis ſemper,nec Græcus quiſquam eſt ſenex. Quod cùm ille audiuiſſet,rogauiſſe eum cur hoc dixiſſet:tum ſenem reſpondiſſe,pueri eſtis animis omnes,quippe qui antiquam nullam in eis habeatis ex veteri cognitione & expoſitione opinionem, neque vllam tempore canam antiquámque ſcientiam.Horum autem hæc cauſa eſt, quòd multi ídque ſæpe hominum interitus extiterunt,& erunt igne quidem & aquis maximi , aliis autem cauſis innumerabilibus , alij rariores & minores. Nam quod etiã apud nos fertur, Phaëthontẽ Solis filium aliquando cùm patris currum iunxiſſet,quòd per viam curſúmque patris incitare & agere nõ poſſet,quæ in terra ſunt exuſsiſſe,ipſúmque fulmine periiſſe , id quidem fabulæ ſpeciẽ gerere dicitur . Hoc autem verum eſt , eorum ſyderum quæ circum terram & in cælo curſum ſuum conficiunt,eſſe mutationem,longíſque temporibus ea quæ in terra ſunt magna vi ignis & copia conflagrare. Tum ij quidem omnes qui montes excelſáque loca & arida incolunt,magis faciliúſque delentur,quàm ij qui flumina & mare accolũt. Nobis autem Nilus & aliis in cladibus præſidio eſt, & nos ex hac liberat . Cùm verò dij terram inundatione delent, ij quidem qui montes incolunt, ſeruantur, bubulci & paſtores:qui autẽ noſtras vrbes incolunt,fluminibus in mare deferũtur.In hac porrò regione , nec tum, nec aliàs ex locis excelſis in arua aqua influit , contráque ex locis inferioribus ſolet erumpere . Itaque his de cauſis hìc quoque vetuſtiſsima monimenta aſſeruari dicuntur. Atque vt quod res eſt dicam,omnibus locis in quibus nec imber nec æſtus minùs ſæuit,tum quidem plures,tum autem pauciores ſemper homines eſſe ſolent.Quæ autem vel apud vos,vel hic, vel alio in loco quem ſcimus , ſi quid præclarum,aut magnum euenit,aut quod alio genere præſtaret,omnia olim hic in tẽplis ſcripta cuſtodiuntur.Quæ verò apud vos aliáſque nationes paulò antè literarum monumẽtis ſemper prodita ſunt, atque omnibus quorum vrbes deſyderant,ea rurſus certis ſtatíſque annis quaſi morbus quidam e cœlo delapſus delet , nec ad eos qui apud vos illiterati indoctíque ſunt,ea res peruenit.Ita rurſus ab initio pueri efficimini, nec quicquam tenetis eorũ quæ aut hìc aut apud vos olim geſta ſunt. Quæ enim modò de pueris veſtris Solon expoſuiſti,ferè ſunt ſimilia fabularum:primùm quòd vnius terrarum inundationis mentionem facitis, cùm plures anteà extiterint : deinde quòd præclariſsimum optimúmque hominum genus quod in regione veſtra fuit, extitiſſe ignoratis:ex quibus & tu & omnis vrbs veſtra quæ nunc eſt,nati eſtis, relicto quodam exiguo ſemine.Sed vos latuit propterea,quòd ij qui ſuperfuerunt multis ſeculis ſine literarum monimentis à vita migrant. Nunc intelligere omnes arbitror, verba hæc, δι' ὑμᾶς λέλεκται,&c.non cohærere cum iis quæ in Iuſtino antecedunt , eáque omnia quæ modò ſubieci,ex Platone,vel addita eſſe à Iuſtino, vel certè hoc interiectum eſſe, καὶ τὰ ἡμῶν μέχρι τοῦ,aut aliquid ſimile.Itaque vel omnia reponenda ſunt,vel nota adhibenda,quæ deeſſe illa ſignificet.

εἰ δ' ὥς φάσκοι καὶ τὴν Μωϋσέως καὶ τῶν ἄλλων προφητῶν τοῖς τῶν Ἑλλήνων γεγράφθαι γράμμασι, γνώτω τοῖς ἔξωθεν ἐντυχὼν ἱστορίαις, ὅτι Πτολεμαῖος ὁ τῆς Αἰγύπτου βασιλεὺς βιβλιοθήκην ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ κατασκευάσας,&c. id eſt. Quòd ſi quis contendat & Moſis & cæterorum prophetarum libros Græcorum literis ſcriptos eſſe,is ſic habeat & ſciat, lectis externis hiſtoriis , Ptolemæum Aegypti regem cùm Alexandriæ bibliothecam inſtruxiſſet, &c.)Occupatione reſpondet ei qui contradicturus eſſet, non eſſe ita vt concluſerat,ex Platonis ſententia inuentionéque literarum Gręcarum quæ diceretur,poſt Hebraicas & Aegyptiacas literas , hiſtoriam omnem Græcorum , ipſorum literis ſcriptam eſſe. Aliquis enim iure quodammodo, id reprehendere potuiſſet, obiiciens & Moſis hiſtoriam & cæterorum vatum atque prophetarum libros ſcriptos eſſe Græcis literis : ex eóque poſſe concludi eadem ratione,& Græcorum literas ante Hebraicas inuentas eſſe,& res eorum antè quàm Hebræorum aut Ægyptiorum,literarum monumentis eſſe mandatas.Occurrit ergo aduerſario,docétque quo primùm tempore libri Hebræorum,qui eorum literis à Moſe prophetíſque cæteris ſcripti ſint,quaque occaſione Græcis literis cœpti ſint deſcribi, qua expoſitione ſua id quod obiici poterat,diluit. Quoniam autem hoc loco de bibliotheca quam Ptolemæus in vrbe Aegypti quæ Alexan-

verè diuinæ creditæ ſunt, omnibns eandem & iiſdem verbis & iiſdem nominibus recitantibus ab initio vſque ad finem, & quæ ſequuntur. Ariſtæus autem, cuius extat de hac re vna ſcriptus liber, quíque, vt ipſe ait, vnus fuit, id eſt, alter eorum qui Hieroſolymam ad pontificem de impetrandis libris miſsi ſunt, multa commemorat, quæ ad confirmandam illorum in interpretandis & conuertendis libris fidem, veritatem, atque authoritatem pertinent. Eos duos & ſeptuaginta fuiſſe ſcribit, quòd ex ſingulis tribubus, quæ duodecim ſunt, ſenos ad illud munus & opus Eleazarus pontifex de conſilio Iudæorum ad Ptolemæum deligi placuiſſe ſcripſerit. Eornm ego nomina tributim ſubieci, quemadmodum ille fecit, quòd pergratum me facturũ multis eſſe intelligam. Ex prima tribu, Ioſephus, Ezechias, Zacharias, Ioannes, Ezechias, Heliſſeus. Ex ſecunda, Iudas, Simon, Samuelus, Adeus, Matthias, Eſchemias. Ex tertia, Neemias, Ioſephus, Theodoſius, Baſeas, Ornias, Dates. Ex qnarta, Ionathas, Auxeus, Heliſſęus, Ananias, Chabrias, Sachus. Ex quinta, Iſaacus, Iacobus, Ieſus, Cabateus, Simon, Zeuinus. Ex ſexta: Iudas, Ioſephus, Simon, Zacharias, Somelus, Selemias. Ex ſeptima: Sabbateus, Iaſon, Ieſus, Theodorus, Ioannes, Ionathas. Ex octaua: Theodoſius, Iaſon, Ieſus, Theodotus, Ioannes, Ionathas. Ex nona: Theophilus, Abrahamus, Arſamus, Iaſon, Endemias, Daniel. Ex decima: Hieremias, Eleazarus, Zacharias, Baneas, Heliſſæus, Datheus. Ex vndecima: Samnël, Ioſephus, Iudas, Ioathes, Cabel, Doſitheus. Ex duodecima: Iſaël Ioannes, Theodoſius, Arſamenus, Abiathas, Ezechiel. Idem ſcribit quo primùm die in regis conſpectum producti ſunt, regem cùm eum conſalutaſſent, eóſque ille viciſsim, inſtructo opipare conuiuio cui illos adhibuiſſet, cùm tempus ſermoni idoneum viſum eſſet, ſingulis ſingulas de rebus magnis & arduis, quas exponit, quæſtiones poſuiſſe, vt quiſque loco, dignitate & ætate antecellebat, quas rex diu meditatas quęſitáſque haberet: ad quas vnuſquiſque ex tẽpore reſpondẽs, ita regi ſatisfeciſſet, vt & ipſe gratias agens, ſéque beatum ducens profiteretur, & cùm omnes qui aderát, tum maximè philoſophi tantam eorũ mirarẽtur ſapiẽtiam. Triduo pòſt à Demetrio Phalereo qui inſtruẽdæ bibliothecæ præeſſet, regíq; author fuiſſet, vt libros perferẽdos Hieroſolymis ad bibliothecæ ornamẽtum curaret, iuſſu regis deductos eſſe in Pharũ inſulam, quę ſeptẽ ſtadiis Alexãdria aberat. Ibi in litore maris domũ fuiſſe magnifico opere extructam ad Aquilonem, quieti aptiſsimam, in qua interpretandi conuertendíque munere & ea diligentia functi ſint, vt ſecundo & ſeptuageſimo opus abſoluerint, & ea fide, religione, & eruditione, vt cùm vnus omnium liber inſpiciendus conſydetandúſque ab eis regi in maximo & legatotum & Iudæorum & aliorum hominum cœtu exhibitus eſſet, réxque eum conſyderandum cognoſcendúmque dediſſet, non ſolùm omnium ſententiis ſit comprobatus, verumetiam regis edicto, atque adeò diuina, vt ita dicam, imprecatione cautum, ne quis vel addere quippiam, vel dettahere, aut etiam delere auderet. Rationem autem qua factum ſit, vt omnes vnum idémque in vno tantùm conficiendo opere ſenſerint, exponit. Scribit enim eos quotidie inter ſe de ſingulis rebus diſſerere ſolitos fuiſſe, & quod probaſſent deſcriptum Demetrio tradere. Quæ omnia magnam eorum librorum quos conuerterunt authoritatem declarant, vt eodem addamus id quod eam rem maximè confirmare debet, eos potiſsimùm delectos eſſe à Iudæis, qui & Hebraïcè & Græcè eſſent doctiſsimi: quò eos deduxerint maxima regis cùm in ſe beneficia, tum in Dei templum miſſa ab eodem munera. Nam & infinitam Iudæorum multitudinem quam captam bello habebat, libetam abire ſiuit, & vaſa aurea àrgenteáqne infiniti ponderis ad templi ornamẽta pet legatos duos, quò faciliùs id quod petebat impetraret, principio miſit. Illud quoque magno argumento ſummæ authoritatis eſſe debet, quòd omnes Iudæi quorũ erant tum Gręcis diſciplinis & literis inſtructi plurimi, illam eorum cõprobarunt authoritatem. Et ſunt, ſi Deo placet, literis illis mediocriter, atqne adeò leuiter imbuti & tincti homines qui illos erraſſe contendant! Ar interpretando interdum multa prætermittunt, nonnunquam verbum aliud pro alio conuettunt atque ponunt, quod eſt aut ignorationis aut negligentiæ. Prætẽtmiſſa eſſe quædam ab eis non negamus, mutata etiam quædam concedimus, quanquam hoc Philo negare videatur. Itaque ſi quis velit eius ſententiam defendere, quã paulò antè iiſdẽ verbis quibus vſus eſt, expoſui, is

profectò vtrumque negate poterit,& ſi qua omiſſa eſſe aduerſarij obiiciant,& mutata, nec omiſſa,nec mutata dicere,ſed detracta à Iudæis.Quod quidem mihi cõſentaneum eſſe videtur iis quæ de feſto die atque conuentu in Pharo inſula agi ſolita à Iudæis paulò antè ex eo commemoraui. Si enim Iudæi tot quot proferuntur, mutata eſſe intellexiſſent aut comperiſſent,iuſtam illam cauſam non probandæ interpretationis die feſto agendo,ſed improbandæ damnandæque exiſtimaſſent. Niſi fortè aut tam indocti omnes qui eò conuenirent quotannis, fuerunt, vt diſſenſionem & diſcrepantiam quæ profertur,non potuerint animaduertere:aut certè propter illorum tantam de tam magnis rebus conſenſionem & cõcordiam, idem quod nos ſenſerunt. Quæ autẽ ſit de his rebus ſentẽtia noſtra, id eſt,mea, eorúmque qui ſeptuaginta illorũ interpretationẽ verã eſſe defendunt, Epiphanius Hieronymi & familiaris & æqualis, in libello quem de menſuris & ponderibus ſcripſit,loquens de diuina ſeptuaginta conſenſione, exponit his verbis,(Græca autem nõ ſubiiciam, ne plerique à lectione deterreantur.) Cùm autem abſolutæ perfectæque fuerũt eorum interpretationes, rex in excelſo ſolio ſedit, lectoréſque ſiue recitatores ſex & triginta, qui vniuſcuiuſque libri ſex & triginta exẽplaria habebant,& vnus qui Hebraïci codicis exemplar habebat.Cùm verò vnus legeret cæteris tacentibus,inuenta eſt diſcrepantia: ſed Dei mirum opus extitit, vt intelligeretur Spiritus ſancti munere præditos illos homines vnum & idem ſenſiſſe in interpretatione.(ἑρμηνεία enim,non ἐρήμῳ legendum eſt.)Vbi enim verbum aliquod additum erat,inuentum eſt additum eſſe ab omnibus, vbi autem detractum erat, omnes ex æquo detraxiſſe inuenti ſunt. Ac ea quidem quæ dẽpſerunt, minùs neceſſaria ſunt, quæ autẽ non detraxerunt,ſunt neceſſaria. His paucis verbis Epiphanius non ſuã ſolùm, ſed noſtram quoque expoſuit de hac re tota ſententiam. Quò autem faciliùs & hæc ipſa,& quæ adhuc de ſeptuaginta interpretum authoritate dixi,perſuadeam omnibus,libet hoc loco quatuor epiſtolas à me conuerſas ex Græco ſubiicere, tres Ptolemæi Philadelphi,quartam Eleazari Iudæorum pontificis.

Rex Ptolemæus Iudæis qui ſunt Hieroſolymis,Salutem. Inſtruxi bibliothecã, in qua magnam librorum copiam quos ex omni natione collegi,repoſui. Quoniam autẽ auditione accepi,apud vos circũferri libros prophetarũ de Deo & mundi opificio, quos vnà cum aliis conſecrare cupio, ſcripſi vt eos ad me mittatis. Me autem hoc expetere honoris cauſa,non nimiæ curæ aut maleuolentię,ſed fidei meæq; in vos amicitiæ gratia hæc petere,ex noſtro in vos animo & ſtudio,ſi vobiſcum in animis recordati fueritis,intelligetis. Meminiſtis enim cùm multi ex regione veſtra captiui in Ægyptũ noſtram abducti fuiſſent,eos à me dimiſſos eſſe liberos cum magno commeatu & officio, quinetiam eos qui vulnerati erant, valentes,& qui nudi amictos dimiſi:& non ita pridem mẽſam aurcam gemmis maximi precij ornatam talentorum vigintivnius pro ea quæ ex ſancto loco Hieroſolymorũ ablata eſt, vnà cum donariis & vaſis aureis ad ſacri loci ornatum. Hæc quidem eò commemoraui, vt me precum religioníſque cauſa libros petere ſciatis. Epiphanius ſcribit Hieroſolymitanos, cùm & epiſtolam & dona accepiſſent,miſiſſe libros deſcriptos aureis literis: ſed cùm Ptolemæus nõ haberet, qui eos interpretaretur,ab eo ad eoſdem hanc alteram ſcriptam eſſe epiſtolam.

Ptolemæus rex religionis doctoribus qui ſunt Hieroſolymis,ſalutem. Theſauri abditi, fontíſque obſignati quis fructus eſt? Similis eſt librorum quos ad me miſiſtis cauſa & ratio. Cùm enim eorum literas legere nõ poſſimus, nullum nobis adiumentum afferent.Itaque peto à vobis, vt ne grauemini ad me mittere interpretes, qui literis Hebraïcis & Græcis erunt accuratè eruditi. Epiphanius ſcribit tum à Hieroſolymitanis duos & ſeptuaginta miſſos eſſe interpretes.Atque is quidem has duas tantùm profert epiſtolas,cùm Ariſtæi librum cuius paulò antè mentionem feci,ſe legiſſe ſignificet,apud quem non hæc quidem,ſed aliæ duæ de hac re ſcriptæ extant,quas etiam Ioſephus iiſdem verbis ſubiicit libro duodecimo de antiquitatibus Iudæorum.Prior autem eſt huiuſmodi.

Ptolemæus rex Eleazaro maximo põtifici, Salutem. Cùm multi Iudæi & imperij mei finibus habitandi cauſa collocati eſſent,quos à Perſis cùm rerũ potirẽtur captos ac ſeruitute oppreſſos,pater meus ęſtimauiſſet,eorúmque partim militaribus muniis maxi-

mis

mis ſtipendiis attributis, addixiſſet, partim ſecum in Ægypto retinens, in præſidiis col locaſſet, vt terrori eſſent Ægyptiis, ego accepto imperio, cùm omnes humanè habui, tum vel maximè ciues tuos, quorum amplius cētum millia captiuorum qui ſeruiebāt, libertate donaui, eorum dominis de meo, redemptionis precio conſtituto. Eos autem qui conſtanti erant ætate, militiæ nomem dare volui, quoſdam verò qui circum me atque in regia mea fidi eſſe poterant, eo honore dignos habui, quòd rerer me gratū Deo munus pro ipſius in me cura & benignitate eſſe allaturum. Cùm porrò hos quoque & alios Iudæos, qui vniuerſum orbem terrarum incolunt, beneficiis deuincire cuperem, legem veſtram mihi interpretandam conuerſámque ex Hebraico ſermone in Græcū in bibliotheca mea ponendam cenſui. Itaque boni viri fungere munere, ſi ex ſingulis tribubus ſenos viros probos iam ſenes, qui & legum propter tempus periti ſint, & eas diligēter accuratéq; interpretari poſsint, delectos miſeris. Spero enim me his perfectis maximam ex eo gloriam eſſe conſequuturum. Miſi autem ad te qui tecum de his ſermonem habeant, Andream cohortis meæ principem, & Ariſtæum, quos plurimi facio, quibus etiam donaria prima ad templi, & hoſtiarum aliarúmque rerum ornamenta, argenti talenta centum dedi perferenda. Tu verò pergratum nobis facies, ſi ſcribas quid nos cauſa tua facere velis. In Ariſtæi libro Latino quem vnū habeo (neque enim mihi Græcum adhuc legere contigit) quædam prætereà hæc epiſtola cōtinet, quæ autem poſui, ea ex Ioſephi libro duodecimo ſumpta conuerti, Ptolemæo autem Eleazarus reſcripſit his verbis: Eleazarus pontifex maximus, Ptolemæo regi Salutem. Si tu & Arſinoë regina liberíque tui valetis, nos quoque valemus. Accepta epiſtola tua, magna nos lætitia affecit inſtitutum tuum: conuocatáque multitudine, eam recitauimus, declarantes ei tuam in Deum religionem. Ei autem oſtendimus phialas quas miſiſti aureas viginti, argenteas triginta, crateras quinque, & menſam propoſitionis, quęque ad ſacrificia & apparatum eorum quæ templum deſiderat, pertinent, talenta centum, quæ omnia Andreas & Ariſtæus pertulerūt, viri qui & à te vni ex amicis plurimi fiūt, & probitate inſigni doctrináq; præſtanti ſunt, & tua virtute digniſsimi. Scito autē nos dum tuis rebus conſulamus, ſi quid etiam ſit contra naturam, eſſe perpeſſuros. Referre enim gratiam tibi debemus, cùm tu prior multa variáque beneficia apud ciues noſtros collocaueris. Itáque ſtatim pro te ac ſorore tua, liberíſque & amicis ſacrum fecimus, populúſque rogauit, vt & omnia tibi ex ſententia eueniant, & regnum tuum in pace conſeruetur, & legis interpretatio è re tua eum exitum habeat, quem tibi propoſuiſti. Delegimus etiam ſenes ex ſingulis tribubus ſenos, quos cum lege miſimus. Erit autem religionis æquitatíſque tuæ, legem cùm ea tranſlata erit, per certos homines ad nos remittere. Vale.

Atque hæ quidem poſtremæ epiſtolæ duæ ex Ariſtæi libro à Ioſepho, vt ipſe fatetur, poſitæ ſunt in duodecimo libro de Iudæorum antiquitatibus. Itáque miror quid venerit in mentem Ioanni Viui, librum Ariſtæi qui habetur in manibus, à recentiore aliquo ſcriptum eſſe dicere. Quid autem de ſeptuaginta authoritate idem Ioſephus ſenſerit, non eſt neceſſe, neque opus commemorare, præſertim cùm Ariſtęum, cuius ſententiam paulò antè expoſui & ſubieci, ſequatur. Nunc ſi eorum omnium quæ adhuc dixi, ſumma aliqua fiat, vt cellulas pari numero attributas, Iuſtini ſententia, Epiphanij autem, ſex & triginta, vnam ſcilicet binis, reliquas autem pari numero adminiſtris, vt inquam cellulas illas tollamus, tamen & Philonis, & Ariſtæi, & Ioſephi, & Iuſtini, & Irenæi, & Epiphanij eorúmque quos ſequitur, & Auguſtini, & multorum quos ſignificat, ſententia, ſummā eis intelligimus, atque adeò maiorem, quàm hominibus tribuendam eſſe authoritatem. Non enim vt homines tanto conſenſu interpretationem conficere potuerunt, vt ne verbo quidem vno, inter ſe diſsiderēt & diſcreparent. Nam de Hieronymo nihil certi afferre poſſum, propterea quòd modò eorum interpretationem vt diuinam admiretur, modò conuellere conetur, aut potius ſtudeat. Qui ſi interdum, aut etiam ſæpe ab Hebraïco ſermone vel verbo vno, vel pluribus diſcedant, ſiue addentes ſiue dementes, id factum eſſe ab illis eius ſpiritus quo afflati erant inſtinctu, iudicare debemus. In quo eam quam idem Epiphanius, vt paulò antè docui, adhibuit, moderationem exceptionémque adhibebimus, id eſt, vt ea quæ dempſerunt, minùs

neceſſaria:quæ non detraxerunt,neceſſaria exiſtimemus.

Δεῖ ζητεῖν ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, τὰ μέλλοντα προεωραμένους, &c. id eſt. Quamobrem debetis rerum futurarum prænotione,&c.)Concluſio eſt totius orationis quam ſibi principiò propoſuerat. Dixit enim de poëtis & philoſophis, quos religionis ſuæ doctores eſſe profiteri poterant, atque ita dixit, vt eorum illam de ipſis ſententiam & quaſi profeſſionem refellerit. Nunc adhortantis aut monentis partes ſuſcipit,propoſitóque futuri iudicij metu ad indaganda ea quæ poëtæ philoſophíque rectè de vera religione ſenſerunt,adhortatur, eorúmque exemplo illos,vt ſi praua adhuc,maiorum errores ſequuti, & ſenſerunt,& egerunt,Moſis aliorúmque vatum diſciplinam, quam ſolam veram eſſe docuit,ſequantur,admonet. Orpheum autem & Homerum Platonémque in Aegypto fuiſſe docet eorum quos probant teſtimoniis, & in libris Moſis verſatos mutaſſe de diis ſententiam eorum ſcriptis proferendis. Si velim ea quæ hiſtoriographi aliique ſcriptores de Platonis aliorúmque in Aegyptum profectione commemorat, hoc loco proferre,& longior,& minus neceſſaria a me ponetur oratio.Itaque ſatis erit proferre quæ de iis Diodorus,quem vnum Iuſtinus nominat, literarum monumentis prodidit. Scribit ergo tertio libro cap. 6. quod Iuſtinus hic commemorat, his verbis, Scribunt eorum ſacerdotes in ſacris contineri libris tranſiſſe primùm ad Aegyptios Orpheum, Muſæum, Melampodem, Dædalum, Homerum poëtam, & Spartanum Lycurgum:deinceps Solonem Athenienſem,Platonem philoſophum,ac Sàmium Pythagoram,Eudoxum quoque mathematicum,ac Democritum Abderitem, & Inopidem Chium,& quæ ſequuntur.

εἷς δὲ θεὸς μόνος ἐστὶν, ὑπερμεγέθης, ἀγένητος,
παντοκράτωρ &c. id eſt.

Aſt vnus Deus eſt ſolus, non ortus & ingens,
Omnipotens,&c.)

Sibyllam hanc Cumæam eſſe dicit, paulò infrà. Sibyllæ autem, ſiue Sibyllarum oraculorum libri octo extant,quos ad me abhinc octo annos ex officina ſua emiſſos vt alios pleróſq; ſæpe aliàs,miſit muneri Baſilea Ioannes Oporinus vir doctiſsimus. Principio primi libri primus eſt omnium,is quem primum hoc loco Iuſtinus ponit,ſed nõ eſſe primum omnium facilè intelligi poteſt ex octauo,qui primus potiùs habẽdus eſt. His autem & aliis quos paulò pòſt Iuſtinus profert collatis cum iis quos ab Oporino editos eſſe dixi,non ſolùm vtrotúmque errata correxi,ſed etiam diuerſos eſſe comperi. Ac in primo quidem,qui ita editus eſt, εἷς θεὸς μόνος, ὃς ἄρχει, ὑπερμεγέθης, ἀγένητος· δὲ interiici debet, vt & eſt apud Iuſtinum, & leges verſus declarãt. Eſt etiam ſcribendum, ὃς ἄρχει per ει diphthongum. ἄρχειν enim idem quod imperare & præeſſe declarat, & ἄρχεσθαι idem quod parêre, & in alterius eſſe imperio. Quãquam illud totum ὃς ἄρχει, ex Iuſtino demendum eſt, & pro eo ἐστὶν reſtituendum, quemadmodum etiam leges verſuum indicant, ὃς enim breue eſt. Secundus verſus non reſpondet ei quem hîc Iuſtinus protulit, ſed quærendus eſt ex tertio libro, in quo primum verbum mutatum eſt hoc modo, αὐτοφυὴς, ἀόρατος, ὁρῶν μόνος αὐτὸς ἅπαντα, Ad quem verſus qui eſt ſecũdus apud Iuſtinum corrigendus eſt. Scribendum eſt enim pro ὁρώμενος, ὁρῶν μόνος. Tertius autem in Sibyllinis non extat, ex quo intelligi poteſt, multos etiam alios deſyderari. Ij enim tres quos Iuſtinus profert hoc loco, in Sibyllinis conſequentes eſſe debent.

Ἡμεῖς δ' ἀθανάτοιο τρίβους πεπλανημένοι ἦμεν
ἔργα δὲ χειροποίητα γεραίρομεν ἄφρονι μύθῳ
εἰδώλων, &c. id eſt.

Aſt immortalíque via defleximus ipſi,
Quæ'que manus fecit ſtulto veneramur honore
Idola,&c.)

In primo verſu τρίβους, deeſt in iis quos Oporinus edidit. Neque enim conſtat verſus, & Iuſtinus verbum illud addit. Secundus autem verſus in Sibyllinis eſt integrior. Nam τε aptiùs quàm δὲ cohæret. Mirum illud videri poteſt, quî in Iuſtino γεραίρομεν ſcriptum ſit, & in Sibyllinis oraculis pro eo σεβάσμεθα. Vtrum autem verbum ab exceptoribus poſitum ſit ignoro.

ὄλβιοι

ὄλβιοι ἄνθρωποι κεῖνοι κατὰ γαῖαν ἔσονται,&c.id eſt.
Semper homo in terris numerabitur ille beatus,&c.)
Iuſtinus ſeptem verſus hoc loco profert, qui quarto libro Sibyllinorum oraculorum conſequuntur,ſed hoc intereſt,quòd in primo apud Iuſtinum ſcriptum eſt ἄνθρωποι,& in patrio caſu ἀνθρώπων in Sibyllinis oraculis, qui mihi aptior videtur: dant enim patrium caſum Græci iis nominibus & pronominibus quæ ad partem pertinent, hoc etiam intereſt, quòd in ſecundo verſu apud Iuſtinum μέγαν θεὸν ſcriptum eſt, & in oraculis θεὸν μέγαν:& in tertio illic φαγέεντα πιέντα,& hîc,id eſt in oraculis,πιέντα φαγέεντα: & apud Iuſtinum in quarto ἀποινίζονται,,& in oraculis ἀποστρέψουσιν,id eſt,euertent:& in quinto apud Iuſtinum εἰκαῖα,& ἀφιδρύματα,in oraculis autem οἰκεῖα ἱδρύματα,quorum οἰκεῖα,id eſt,domeſtica,vel familiaria mihi minùs probatur.In ſexto autem vitioſe ſcriptũ eſt in oraculis μεμιαμμένα pro μεμιασμένα,& θυσίαισι, pro θυσίαισι. Nã & μεμίασμαι præteritum eſt verbi patiendi,vnde μεμιασμένος participium, id eſt, contaminatus & inquinatus, & θυσία, id eſt hoſtia, ſiue ſacrum in dandi caſu numero multiudinis θυσίαις facit.
μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος,id eſt,
Iram diua mihi memora,qua agitatus Vlyſſes.)
Primus eſt verſus primi libri Iliadis.
-οὐδ᾽ εἴ κέν μοι ὑποσταίη θεὸς αὐτὸς
γῆρας ἀποξύσας,θήσειν νέον ἡβώοντα,id eſt,
-nec mihi ſi Deus ipſe
Deleto ſenio iuuenis promiſerit annos.)
Ex nono libro Iliadis hæc duo ſumpta ſunt.
οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.εἷς κοίρανος ἔστω,id eſt,
Non multi præſunt domini bene, ſit caput vnum.)
Ex ſecundo Iliadis libro.
εἷς ταῖς ἀληθείαισιν,εἷς ἐστὶ θεὸς,&c.id eſt,
Eſt vnus,eſt verè profectò vnus Deus.)
Verſus hi Sophoclei non ſunt in iis ſeptem eius Tragœdiis,quæ ſolæ extant.Multas enim alias ſcripſit.Eoſdem autem verſus profert in libro de Monarchia Dei,alióſque eiuſdem ex aliis etiam tragœdiis qnas nominat.
ὁ μὲν θεὸς εἷς,&c. Deus quidem vnus eſt, &c.) Verba ſunt Pythagoræ ex libro qui non extat,quod ſciam.Eius enim tantùm aureos verſus legi.
θεοὶ θεῶν,ὧν ἐγὼ δημιουργὸς, id eſt, Dij deorum, quorum ego parens effectórque ſum.) Verba ſunt Platonis ex Timæo: in cóque libro ea ſunt omnia quæ hoc loco commemorat. Atque ea ſunt in ea libri eius particula quam ante quatuordecim annos cum Ciceronis interpretatione edidi:ob eámque cauſam hîc proferenda non cenſui.
ἐγώ εἰμι ὁ ὤν,id eſt,Ego ſum qui eſt.)In libro Moſis,qui Exodus inſcriptus eſt,hæc ſcripta ſunt,ὁ ὤν,qui eſt dixi,quòd participium eſt,& Iuſtinus ita accipit.
ἔστιν οὖν κατ᾽ ἐμὴν δόξαν διαιρετέον πρῶτον,τί τὸ ὂν μὲν ἀεὶ,γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον,&c.id eſt, Eſt igitur mea quidem ſententia primum conſtituendum,quid ſit quod ſemper eſt,neque vllum habet ortum,&c.) Principium eſt diſputationis Platonis in Timæo, à qua etiam Cicero in libro qui vulgo de vniuerſitate inſcriptus eſt,duxit exordium. Deſunt autẽ hîc duo verba hæc,δὴ & τάδε. Eſt enim ita ſcriptum in Timæo, ἔστιν οὖν δὴ κατ᾽ ἐμὴν δόξαν,διαιρετέον τάδε,&c.& paulò pòſt,ὄντως δὲ οὐδέποτε ὄν.στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοὶ, id eſt, Dij verò mutantur & ipſi.)Ex nono libro Iliadis.
τῷ γὰρ οἱ καὶ πρῶτῳ θεῷ τὴν ἐξουσίαν καὶ τὸ κράτος ἔμπροσθεν τῆς χρυσῆς ἐκείνης ἀναφέρει σειρᾶς, id eſt,Vni enim primóque Deo omniũ poteſtatem & potentiã per illum aureũ funem & catenam tribuit.)Hæc Homerus principio octaui libri Iliadis,Iouem cęteris diis dicentem cum minis inducit.
εἰ δ᾽ ἄγε πειρήσασθε θεοὶ,ἵνα εἴδετε πάντες
Σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες,&c.
Μαίνεται ἐκπάγλως πίσυνος Διῒ,οὐδέ τι τίει
Ἀνέρας οὐδὲ θεοὺς,id eſt,

Quíque Ioui fidar, magnam hunc dementia cœpit
Afficir & nullo ipſus honore hominéſque deóſque)

Hi verſus ſumpti ſunt ex nono libro Iliadis. Verbum eſt vnum τίει, id eſt, honore afficir, ſiue in honore habet & pretio, paulò pòſt verſus eoſdem Iuſtinus profert ex nono Iliadis, quos ſupra protulit, vt ibi docuimus, itémque aliquid ex Timæo Plaronis.

μοῦναι χαλδαῖοι σοφίην λάχον, &c. id eſt.
Chaldæis ſolis ſapientia ceſsir, &c.)

Quando oraculum hoc editum fuerit, aut vbi, aut apud quem ſcriptorem hos duos verſus ſex pedum, ſiue heroicos, quos tamen elegiacos nobis facere viſum eſt, Iuſtinus legerit, non potui inuenire.

οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλὸν, &c. id eſt.
Non etenim vertique poreſt, & fallere quenquam, &c.)
Ex primo Iliadis.

τὴν δὲ πυρὸς ἀρχὴν καὶ τῶν ἄλλων σωμάτων ὑποτιθώμεθα, &c. id eſt. Hoc autem ignis principium, aliorúmque corporum, &c.) Hic locus eſt in Timæo Plaronis tertia ferè pagina poſt ea omnia quæ à Cicerone conuerſa exranr. Ibi aurem non τὴν ſcriprum eſt, ſed ταύτην δὲ πυρὸς ἀρχὴν, & ὑποτιθώμεθα in ſubiungendi modo, non ὑποτιθέμεθα in præſenti indicandi.

ἐπειδάν τις ἐγγὺς ᾖ τοῦ οἴεσθαι τελευτήσειν, &c. id eſt. Quando aliquis haud procul abeſſe morrem opinatur, &c.) Locus hic Plaronis eſt in primo libro de rep. pagina ſecunda, nec ab iis verbis quæ hic proferr Iuſtinus, diſcrepar, niſi quòd δέος ſciptum eſt, non φόβος, & ἐμπίπτουσιν, non εἰ τῷ πίπτειν, & δεῖ non δέοι & ὡς ἤδη, non ὥσπερ, & δ' οὖν, non γοῦν, & ἠδίκηκε, non ἠδίκησεν. & ὁ μὲν οὖν εὑρίσκων, non ὁ μὲν οὖν τις εὑρίσκων, & ἡδεῖα, non γλυκεῖα: & ὡς Πίνδαρος, non ὥσπερ. & ἀτιτάλλουσα, non ἀπιτάλλουσα, quæ idem ſignificant. γνῶμαι autem in Plarone ſcribendnm eſt, quoniam Doricè ſcripſir Pindarus. In quatuor Pindari ludis ſiue libris qui exrant, non ſunt ea quæ hic Plato proferr.

ἔφη γὰρ δὴ παραγενέσθαι, &c. id eſt. Dixit enim ſe affuiſſe, &c.) Locus hic eſt in decimo libro ferè extremo de rep. Quæ autem mutara ſunr, ſic habēt. Apud Platonem ſcriptum eſt Ἀρδιαῖος ſemper, hic Ἀριδαῖος, illic hæc ſunt, quæ hic deſyderantur, ἤδη χιλιοστὸν ἔτος εἰς ἐκεῖνον τὸν χρόνον, poſt hoc verbum ἐγεγόνει. & hæc duo, ὅτι ἀναβαίνοιεν hic ſunr poſt hoc verbum ἐμυκᾶτο τὸ στόμιον, quæ in Plarone deſunt. Eſt etiam illic παρεῖσι, & hic παρῆσι. illic χεῖρόν τι αὐτῶν, hic χεῖρόν τι αὐτῷ. Ego σὺν abeſſe puro, vt intelligamus, vnà cum Aridæo plurimos tyrannos eodem affectos eſſe ſupplicio. In Iuſtino etiam hæc verba deſunt, ταῦτα ὑπομένοιεν, poſt hæc, ὧν ἕνεκά τι. Alia etiam quędam quæ leuiora ſunt, diuerſa reperiuntur.

καὶ Τιτυὸν εἶδον γαίης ἐρικυδέα υἱόν, &c. id eſt.
Nec non & Tiryon terræ omniparentis alumnum, &c.)

Ex libro vndecimo Odyſſeæ. Hos tres verſus non meis, ſed Virgilianis interpretatus ſum. Hos enim Virgilius, vr pleróſque alios Homeri in ſexto Aeneidis rranſtulit. In vndecimo libro Odyſſeæ non in accuſandi caſu ἐρικυδέα, ſed in patrio ἐρικύδεος ſcriptum eſt, vt ad terram refetatur. In pleriſque Virgilianis codicibus vitioſè legitur nomen, pro nouem in ſecnndo verſu. Eſt enim apud Homerum ſcriptum ἐννέα.

τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ Σίσυφον καὶ Τάνταλον κατὰ σώματος τὴν τιμωρίαν ὑπέχειν γέγραφεν, id eſt, Eodémque modo & Siſyphum & Tanralum corpore ſupplicium ferre ſcripſir.) Eodem in libro rerrio ferè verſu pòſt de Tantali ſupplicio, inde ſexto fere pòſt de Siſyphi diſſerit. Tantalum in ſtagno ſcribit ſtare, ſitíque enectum bibere non poſſe, propterea quòd quotieſcũque ſenex ſe deprimit atq; inflectit vr bibat toties aqua euaneſcit, terráque atra eius pedes circundare viderur: & cùm poma colligere ſtudet quæ ex arboribus decidunt, rum ea à ventis pelluntur. Siſyphum aurem vrroque humero ſaxum ingens ſuſtinere, inrerdúmque cùm pedibus manibúſque ſuſtiner, pellítque ſurſum, rum antequam ſummum ſuperet, in eum ſaxum vi ſua recidere ac reuerti.

ἔφη γὰρ αὐτὸν ἐν Αἰγύπτῳ γενόμενον, μεμαθηκέναι, ὅτι νηπενθὲς, &c. id eſt. Scribit enim eũ cùm in Aegypro eſſet, &c.) Hæc Diodorus ex quarto libro Odyſſeæ ſumpſit. Verba autem Diodori ex ſexto libro ſubieci, Homerum in Ægypto fuiſſe cùm multa alia indicia feruntur,

ferutur, tum maximè potio ab Helena in præteritorum obliuionem Telemacho data. Nam potionem ad abolendum luctum, quam poëta Helenam compoſuiſſe ſcribit, in Thebis Ægyptiis à Polydamnia Thonis vxore factam conſtat.

κἀκείνῳ τῷ φαρμάκῳ ἔφη ὅμηρος, &c. id eſt. Eóque veneno ſiue remedio Helenam vſam ait Homerus, &c.) Hoc Homerus ait eodem in libro. Scribit enim, cùm Piſiſtratus Neſtoris filius, & Telemachus Vlyſsis, quem domi paternæ recèns natum Menelaus reliquiſſet, ad illum hoſpites veniſſent, iíque recepti, incogniti tamen, magnificentiam Regiæ in menſa admirarentur, ac tum denique Menelaus, quínam eſſent, rogaret, Telemachum primo in aurem Piſiſtrato de ædium magnificentia loqui cœpiſſe, ita tamen, vt Menelaus exaudiret, deinde Menelaum illo Telemachi ſermone ductum, ſuos omnes caſus commemoraſſe, ob quorum tamen nullum tanto dolore confectum ſe eſſe dixerit, quanto Vlyſsis vnius cauſa qui abeſſet & de quo ita laboraret, vt perpetuo mœrore eius cauſa excruciaretur, quòd neſciret viueréτne, an mortuus eſſet ipſe, qui vnus ex Græcis omnibus plurima pertuliſſet. Helena autem quæ hæc ſæpe Menelaum commemorantem audiuiſſet, in altero conuiuio remedium infudit in vinum, ex quo bibentes conuiuæ ita præterita mala & caſus obliuione obruerunt, vt ipſa Troiæ excidium narrante, nihil ex eo doloris perceperint.

καὶ χρυσῆν δὲ ἀφροδίτην, &c. id eſt. Aureámque Venerem, &c.) Virgilius quoque Homeri ſcilicet imitatione Venerē auream vocat in 10. Æneidis, Iuppiter hæc paucis: at non Venus aurea contra Pauca refert. Homerus autem in quarto Odyſſeæ libro Venerem χρυσῆν vocat, cum ait Helenæ Deos prolem iam ex eo tempore non dediſſe, cum ſemel amabilem genuit filiam Hermionem nomine, quæ aureæ Veneris ſpeciem præ ſe ferebat, id eſt. ἑρμιόνην, ἣ εἶδος ἔχε χρυσῆς ἀφροδίτης. Diodorus in ſexto idem ſcribit his verbis, Venerem incolæ ex antiquo nomine auream appellant, agrúmque eſſe conſtat aureæ Veneris prope Memphim.

ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ᾽, ἐν δ᾽ οὐρανόν, ἐν δὲ θάλασσαν, &c.

Hic terram, hic cælum effinxit, mare veliuolúmque, &c.)

Hi verſus ſumpti ſunt ex decimooctauo libro Iliadis. Virgilius octauo Æneidis extremo clypei effictionem imitatus eſt: ſed in eo à Vulcano effícta & quaſi inſculpta eſſe dicit, non cælum, & cætera quæ Homerus commemorat, ſed bella & prælia quæ Romani poſteà geſſerunt. Apud Homerum Tethys Vlyſsi clypeum tradit, apud Virgilium Æneæ Venus.

ἔνθα δὲ δένδρεα μακρὰ πεφύκει τηλεθόωντα, &c.

Hîc omnis procera venit cum floribus arbos, &c.)

Verſus hi ſumpti ſunt ex ſeptimo libro Odyſſeæ Homeri. Verſus qui hîc quintus eſt, corrigi debet in vulgatis exemplaribus. Eſt enim in extremo verſu ſcriptum, ἀλλὰ μάλ᾽ αἰεὶ, cum ex Iuſtino ſcribendum ſit, ἀλλ᾽ ἀεὶ αὔρη, id eſt, Semper at aura. Sequitur enim, ζεφυρίη πνείουσα, id eſt, Zephyria aſpirans, &c. ἀλκινόου autem ſcribendum eſſe paulò ſuprà in Iuſtino dicerem, niſi omnes intelligere arbitrarer, præſertim cum de Alcinoi regis hortis agatur, qui noti ſunt.

οἵ ῥα καὶ ἀθανάτοισιν, &c. id eſt.

Hi quoque cælicolis ſummo minitantur Olympo, &c.)

Sumpti ſunt ex vndecimo libro Odyſſeæ.

ὃν διάβολον αἱ θεῖαι γραφαὶ καλοῦσιν, ἀπὸ τῆς πρώτης, &c. id eſt. Quem diabolum diuina ſcripta à prima, &c.) διάβολος enim ἀπὸ τοῦ διαβάλλειν dicitur. διαβάλλειν autem vel eſt calumniari, vel criminari & in crimen vocare, vel accuſare. quorū poſtremum illud ἀποκαλύψ. duodecimo videtur confirmare, Deiectus eſt enim is qui eos accuſabat die & nocte. Primam autem illius in homines διαβολὴν, id eſt, calumniam intelligit eam qua primis hominibus ſuaſit, vt contra Dei præceptum ligno ſcientiæ veſcerentur.

ὥσπερ ἀκριβῶς τῶν ὑπὸ ἡσαΐου τοῦ προφήτου περὶ αὐτοῦ εἰρημένων μεμνημένος ῥητῶν, id eſt, Eorum quæ ab Eſaia propheta de eo dicta ſunt recordatione.) Significat id quod ab Eſaia ſcriptum eſt cap. decimoquarto. Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, &c. Vt etiam eccleſia intelligit, cùm tamen de Nabuchodonoſore dici intelligíque tantùm nonnulli velint.

αὐτίκα δ' εἰλ' ἄτην,&c.
Continuò iratus comptis tum crinibus Aten,&c.)
Hi verſus ſunt apud Homerum in 19. libro Iliadis.
καὶ ποιήσεις μοι κατὰ πάντα,&c. id eſt, Facieſque mihi ad omnia,&c.) Exodi cap. 25. hæc ſcripta ſunt iiſdem verbis. Duo autē quę deinceps profert Iuſtinus, mutata ſunt. Quod enim priore loco profertur, eſt in 26. capite, & quod poſteriore, 25. Et tamen cùm prius illud protulit, dicit ſequi paulò pòſt alterum. Itaque quod poſterius eſt horū duorum, prius eſſe debet. In priore autem loco inſignis eſt error. Sic enim legendum eſt, καὶ αὖθις μικρὸν ὕστερον οὕτως, ὅρα, ποιήσεις κατὰ τὸν τύπον,&c. non vt eſt, καὶ αὖθις μικρὸν ὕστερον, ὄντως ἄρα ποιήσεις,&c. Principium enim circumſcriptionis apud Moſen Exodi 25. cap. extremo eſt huiuſmodi, πάντα τὰ σκεύη ταῦτα ὅρα ποιήσεις κατὰ τὸν τύπον,&c. id eſt, Hæc vaſa omnia vide vt facias ad exemplar, &c. Ex quibus aliiſque multis quæ adhuc correximus, intelligi poteſt, neminem vix aut ne vix quidem rectè quicquam conuertere poſſe quod ex ſcriptore alio proferat is cuius ſcripta conuertantur, niſi id cum primo exemplari conferat.
κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν,&c. id eſt,
Mutum nanque ſolum deturpat percitus ira.)
Vltimus eſt verſus eorum quibus principio poſtremi libri Iliadis Apollo de Achillis Hectoris corpus trahentis inhumano crudelíque facinore apud deos conqueritur. In Iuſtino malè ſcriptum eſt in modo infinito ἀεικίζειν. Achilles intelligitur, qui iratus, Hectoris corpus dedecore trahendo afficit.
ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε, id eſt,
Sed vos terra quidem cuncti facti eſtis & vnda.)
Menelaï ſunt verba apud Homerum in 7. libro Iliadis, ad Græcos, qui prouocante ad ſingulare certamen Hectore partim pudore, partim timore reticuerant.
εἰ δὲ νῦν ἡμεῖς ἐν παντὶ τῷ λόγῳ, &c. id eſt, Quòd ſi nos modò in omni hac diſputatione, &c.) Sunt hæc in Menone pagina vltima, neque vlla eſt diſsimilitudo & diſcrepantia, niſi quòd in Iuſtino ἐλέξαμεν in ſecundo aoriſto ponendum eſt, non vt eſt in præſenti, λέγομεν legendum.
ἐκ μὲν τοίνυν τούτου τοῦ λογισμοῦ,& quę ſequuntur, id eſt, Ex hac igitur ratione cōſtat,&c.) Sunt hæc ferè extrema verba eiuſdem libri. Apud Platonem, ἡμῖν παραγίνεται ſcriptum eſt,& in Iuſtino, ἡμῖν ἂν παραγίνεται. In Platone meliùs, τὸ δὲ σαφὲς περὶ αὐτοῦ, quàm hic, περὶ αὐτοῦ. In vtroque autem hæc ipſa circumſcriptio traiectione verborum quę non eadem eſt, corrupta eſt, reſtituíque debet hoc modò, τὸ δὲ σαφὲς περὶ αὐτοῦ, ὅτῳ ποτὲ τρόπῳ τοῖς ἀνθρώποις παραγίγνεται ἡ ἀρετή, εἰσόμεθα τότε, ὅταν πρότερον ἐπιχειρήσωμεν αὐτὸ καθ' αὑτὸ ζητεῖν, τί ποτ' ἐστὶν ἀρετή.
χρόνος δ' οὖν μετ' οὐρανοῦ γέγονεν, & quæ ſequuntur, id eſt, Tempus ergo cum cælo ortum eſt,&c.) Hæc ſunt apud Platonem in Timæo ea priore particula, quæ in Ciceronis libro qui de vniuerſitate inſcriptus eſt deſideratur. In Platone eſt ſcriptum, γεννηθέντες,& in Iuſtino, γενόμενοι. In Platone τις poſitum eſt, ἄν ποτε λύσις τις αὐτῶν γίγνηται, quod nomen in Iuſtino non habetur.
τοῦ χάριν μνημονεύσαι τούτων νῦν προῄχθην, & quæ ſequuntur, id eſt. Quorſum hæc nunc, Gentes commemoranda cenſui?) οὗ legi malim aut ἕνεκα, quàm τοῦ, proclíuius. Eſt enim poetarum. Quoniam duas aut tres paginas impleuit teſtimoniis eorum quos nominauit, qua tam longa oratione ſiue auditores, ſiue lectores à propoſito abduci poterant, huic opinioni & vitio occurrit, oratorum more, quærens quorſum hac tam longa oratione vſus ſit, reſpondénſque quorſum. Interrogatio eiuſmodi non ſolùm magnam vim habet ad ſuadendum, ſed etiam ad perſpicuitatem atque nitorem orationis. Eſt etiam in ea vis quædam occupationis. Solent enim aut certè parati ſunt homines cùm multa cōmemorantur, aut proferuntur, quorſum id fiat quærere. Quæ adhuc commemorauit, eò ſe commemoraſſe ac protuliſſe dicit, vt intelligerent non poſſe cognoſci veram religionem ab Homero & Platone cæteriſque qui aliquid quod ad veram religionem, vt docuit, pertineret ex Moſe aliiſque prophetis hauſiſſent, cùm ipſi ne de iis quidem quorum cauſa hominibus à religione noſtra abhorrentibus admi-

rationem

rationem ſui excitarant, aliquid propriè, ſed tantùm per inuolutam obſcuramque orationem de iis quæ à Moſe mutuati eſſent, potuerint in ſcriptis ſuis enunciare. Iraque occurrit alteri eorum obiectioni. Dicere enim Gentes potuiſſent, ſe ex Platone, Orpheo, Homero & aliis quos aliquid de vera religione ſcripſiſſe adhuc longa oratione docuerat, quòd Moſis cæterorumque vatũ ac prophetarũ libros euoluiſſent, veram religionem poſſe cognoſcere. Hoc ipſum diluit, docens eos nihil propriè, quod neceſſarium eſt, ſed tantùm obſcurè & per inuolucra orationis in ſcriptis ſuis enunciaſſe, & pateſeciſſe eorum etiam, quorum cauſa ab aliis qui eos in Ægypro hæc ipſa ex Moſe hauſiſſe ſcripſiſſent, commendaretur. Quatenus autem eorum lectio conducat, paulò pòſt docebit.

καιρὸς οὖν ἥκει νῦν, πείθεσθαί τε ὑμᾶς, &c. id eſt. Quare nunc tempus, vos, &c.) Concluſio eſt & peroratio totius orationis. Primùm refellit atque refutauit id quod dicturi fuerant, veram ſe religionem colere, quam ex poëtis & philoſophis cognouiſſent. Prior illa fuit pars orationis. Deinde ex illo loco adhuc docuit, quoniam nullos haberent certos veróſque religionis magiſtros, eos oportere Moſem cæteróſque vates approbare ſibíque proponere, quos poëtæ & philoſophi in iis quæ veram religionem attingant, imitati fuiſſent. In peroratione hac breuiter commemorat id quod poſteriore parte orationis docuit, Moſem cæteróſque prophetas antiquiores eſſe iis quos ſapientes iudicaſſent, eóque poſito & conceſſo ab illis, atque adeò approbato, tempus eſſe dicit, vt à veteri errore liberari, Moſem vatéſque omnes legant, à quibus ſolis veram religionem, vt docuit, poſsint diſcere: in eóque potiùs ſibi ſaluti que ſuæ conſulant, quàm priſtino maiorum errori pudore prohibiti quaſi adhæreſcant. Quoniam autem inſuauem minúſque ſplendidam & ornatam prophetarum orationem obiicere potuiſſent, hoc diluit multis rationibus. Metum etiam iudicij quod futurum iam dixerat, exemplo maiorum qui quòd hæc non credidiſſent, pœnas luerent, rurſus breuiter proponit.

εἰ δὲ ἡ τἀληθοῦς εὕρεσις, &c id eſt. Quòd ſi veri inuentio, &c.) Argumentum à definitione, pro eo quod eſt à re quę definitur. Fuiſſet enim rectiôr argumentatio, ſi hoc modo eã tractaſſet. Quòd ſi philoſophus eſt veri inuẽtor, quomodo hi philoſophi habendi ſunt, qui vera ſcientia non ſunt præditi? Quibus res quæ definitur cõuenit, iis ętiam definitio conuenire neceſſe eſt.

ἔοικα γ' οὖν αὐτῷ τούτῳ, &c. id eſt. Videor ergo hoc quidem hac ipſa parua re, &c.) Verba ſunt Socratis in defenſione ſiue apologia qua Plato vſum eum eſſe dicit. Eſt autem locus in Iuſtino corruptus, neque id ſenſi quoad eum in defenſione inueni. Eſt autem huiuſmodi, ἔοικα γοῦν τούτου γε σμικρῷ τινι αὐτῷ τούτῳ σοφώτερος εἶν, ὅτι ἃ μὴ οἶδα, οὐδὲ οἴομαι εἰδέναι. Quæ verba conuerti, non quæ apud Iuſtinum corrupta ſunt. τούτου γε patrius eſt caſus quem comparandi gradus σοφώτερος ſibi aſciſcit. Socrates enim eo in loco ſe incidiſſe dicit in quendam eorum qui ſapientes eſſe viderentur, quem, vt ait, nihil attinebat nominare cùm diſputaret cum homine, dicit eam ſe de illo habuiſſe opinionẽ, vt eum putaret cùm aliis hominibus, tum ſibi ſapientem videri, cùm tamen non eſſet. Deinde ſe dediſſe operam dicit vt doceret, illum quidem putare ſe eſſe ſapientem, & tamen non eſſe. Qua ex re & illi ſe infenſum fuiſſe dicit & multis eorum qui aderant. Cùm verò diſceſsiſſet, hoc ſecum in animo cogitaſſe, ſe illo eſſe ſapientiorem. Nam hoc quidem apparere, neutrum ipſorum quicquam præclari aut boni ſcire, ſed illum quidem ſe aliquid ſcire exiſtimare, cùm non ſciret, ſe autem queadmodum non ſciret, ſic neque putare. Tùm ſequitur id quod interpretamur, Videor ergo, inquit, hac ipſa parua re hoc homine ſapientior, quòd, &c. Locus ergo hic corruptus, ſic corrigendus & intelligendus eſt. Picus vt in cæteris, ſic in hoc loco peccauit, quòd eum cum Platonis loco non contulit.

ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα ἀπιέναι, &c. id eſt, Sed tempus eſt iam hinc abire, &c.) Totidẽ iiſdémque verbis hunc locum expreſsi, quot & quibus Cicero in prima Tuſculana. Eſt autem iiſdem verbis explicatus apud Platonem, niſi quòd apud Iuſtinum ſcriptum eſt τεθνηξομένῳ, & apud Platonem ἀποθανουμένῳ.

οὐδὲ τὴν τοῦ Εὐρίπου φύσιν, &c. id eſt, Cùm nec Euripi natura, &c.) Apud quem ſcriptorẽ hæc de Ariſtotelis morte Iuſtinus legerit, neſcio. Certè Diogenes Laërtius quemque

legentibus ea, quæ & de cæterorum philoſophorum & de Ariſtotelis vita ac morte ſcripſit, quæcunque potuit collegiſſe videri arbitror) loquens de eius morte, in Chalcide eum mortuum ſcribit ex multorum ſententia, nec de Euripo quiſquam mētionem facit. Itaque confictam hanc fabulam arbitror ab inuidis.

ἀλλὰ κατὰ τὴν παλαιὰν ἐκείνην ἱστορίαν, κηρῷ τὰ ὦτα φραξάμενος, &c. id eſt, Sed veteri illi hiſtoriæ parens, auribus cera obſtructis, &c.) Vetus hiſtoria quam Iuſtinus hoc loco commemorat, eſt apud Homerum in 12. lib. Odyſſeæ. Ibi enim Sirenes ſuauitate cantus ſui Vlyſſem ad ſe alliciunt & inuitant, ſed cera eius ſocij ſuas Vlyſſéſque ſuas obſtruxerūt. Verſus Sirenum eleganter Cicero libro quinto de finibus conuertit.

ὀρθῶς ἄρα ἂν καλοῖμεν, &c. id eſt, Rectè igitur diuinos appellabimus, &c.) Locus hic eſt in Menonis vltima pagina, ſed in Iuſtino multa verba deſunt, & in Platone ἀρα. In Iuſtino aliquid deeſſe, ſublato Platonis Menone ex, verbo θείους, intelligi poteſt. Apud Platonem ita eſt ſcriptum, ὀρθῶς ἂν καλοῖμεν θείους, οὓς νῦν δὴ ἐλέγομεν χρησμῳδούς, καὶ μάντεις, καὶ τοὺς ποιητικοὺς ἅπαντας, καὶ τοὺς πολιτικοὺς οὐχ ἥκιστα τούτων φαῖμεν ἂν θείους εἶναι καὶ ἐνθουσιάζειν ἐπίπνους ὄντας, καὶ κατεχομένους ἐκ τοῦ θεοῦ ὅταν κατορθῶσι λέγοντες πολλὰ καὶ μεγάλα πράγματα μηδὲν εἰδότες ὧν λέγουσι. Ad hunc igitur locum Iuſtini codex corrigendus eſt.

ἔσται γὰρ ὑμῖν ἀναγκαῖον προγύμνασμα, id eſt, Erit enim, &c.) Nec poëtas, nec philoſophos omnino tollit, vt paulò antè dixit. Sibyllina etiam oracula probat, ſed vt neceſſariam Gentibus primam quandam & antecedentem exercitationem, à qua ad verum certamen, id eſt, ad prophetarum lectionem veniant inſtructiores & paratiores.

πανταχόθεν τοίνυν, &c. id eſt, Quare omni ex parte, &c.) Concluſio eſt generalis totius orationis, quæ philoſopho eſt, quàm oratore dignior.

FINIS OBSERVATIONVM IN PARÆNEticam orationem beati Iuſtini.

IOACHIMI PERIONII BENEDICTINI CORMOERIACENI IN LIBRVM IVSTINI MARTYRIS, DE Monarchia, obſeruationes.

LIBELLVS hic de Monarchia vel perfectus non eſt, ſed multis paginis quaſi ornamentis ſuis caret, vel certè alterum de Monarchia Iuſtinus ſcripſit. Euſebius enim Cæſarienſis commemorat eum, librum de Monarchia Dei ſcripſiſſe, quam non ſolùm noſtris, id eſt, diuinis, ſed etiam Gentilium ſcriptis confirmauerit, cùm eam hoc in libello ſcriptis teſtimoniiſque eorum tantùm qui à religione noſtra alieni fuerunt, probet. Quod etiam hinc intelligi licet, quòd hic inſcriptus eſt tantùm de Monarchia, & is cuius mentionem facit Euſebius, itémque Photius & Suidas, de Monarchia Dei ab illo inſcriptus eſſe dicatur. Hunc autem alterum videri aut eſſe potiùs declarant ea quæ principio huius libelli Iuſtinus ipſe ſcribit, ſe ex poëtis Græcorum teſtimonia ſumpſiſſe, non ex noſtris ſcripturis. Atque hæc quidem de libri inſcriptione, & magnitudine. Quæ autem ſequuntur, ad eius explanationem interpretationémque pertinent, maximéque ad obſeruationem eorum quæ ex poëtis Græcis proferuntur.

τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως κατ' ἀρχὴν συζυγίαν συνέσεως καὶ σωτηρίας λαβούσης, &c. id eſt. Cùm genus hominum principio coniunctam cum ſapientia & intelligentia ſalutem, &c.) Quoniam de Monarchia Dei dicturus eſt, quæ non ſit multis probata, primùm eam à primis hominibus probatam retentámque eſſe dicit, quandiu retinuerunt ea quæ illis ad veri cognitionem, Dominíque vnius & omnium religionem data & conceſſa fuerant, ſapientiam ſcilicet, & ſalutem: deinde cùm illa duo hoſtis generis hominum inuidiâ amiſiſſent, eam ab illis tranſlatam eſſe ad ſimulacrorum effictionem. Ita cum Dei munere etiam veri cognitionem & vnius Dei religionem permanſuras fuiſſe ſignificat. Principium autem hoc ex cauſa ducitur. Cauſam enim cognitionis veri & vnius domini, religionis, ſapientiæ & ſalutis coniunctionem eſſe dicit, & falſæ religionis, id eſt, multorum dominorum ac Deorum, diaboli inuidiam, quæ homines primos & ad ignorationem traxerit & in mortem compulerit: quæ duo contraria ſunt eorum duorum quæ principio, vt ait, genus hominum à Deo coniuncta acceperat. Nam & ignoratio intelligentię contraria eſt, & mors vitæ ac ſaluti. σωτηρία enim hoc loco non ſalutem vt vulgo accipimus intelligit, ſed ſtatus aut vitæ conſeruationem. Hæc autem duo ex principio libri qui eſt de mundi origine quíque Geneſis inſcriptus eſt, ſumpſit. Præceptum enim illud Dei. Ex omni ligno, &c. ex ligno autem ſcientiæ boni & mali ne edite. Quacunque enim hora ex eo ederitis, morte moriemini, vitam eorum complectitur cùm mortem minatur violatoribus. Ex contrario enim contrarium intelligimus. Hoc autem eis præceptum non fuiſſet, niſi cognitionem intelligentiámque habuiſſent, qua verum à falſo, bonúmque à malo internoſcerent. Cùm inuidiam irrepſiſſe dicit, quæ illam hominum excellentiam ad ſimulacrorum effictionem conuerterit, locum illum ſignificat eius libri qui Eccleſiaſticus inſcribitur, inuidiâ diaboli, intrauit mors in orbem terrarum. Conſtituamus ex vna parte Deum primam cauſam, qui charitate ductus, hominum genus procreauerit, & cui in eius ortu intelligentiam & vitam immortalem, ſiue immortalis vitæ adipiſcendæ poteſtatem dederit, vt veri cognitionem haberet, & vnius domini religionem obtineret: cōtráque ex altera parte hoſtem generis hominum quem diabolum appellamus, qui inuidiâ, id eſt, dolore alieni boni impulſus pro intelligentia ignorationem, & pro vita immortali ſiue ſalute, mortem ſempiternam homini procurauerit: tum contraria contrariis reſpondere in vtroque intelligemus. Iuſtinus autem ea inter ſe non opponit, aut comparat, ſed errorem, id eſt, ſimulacrorū effictionem tantùm ex altera parte vero veríque

cognitioni opponit, iis quæ priora ſunt relictis atque prætermiſsis omnibus, quò maturiùs ad id quò volebat perueniret.

καὶ τῷ πολλῷ χρόνῳ μεῖναι τὸ περισσὸν ἔθος, &c. id eſt, ſuperuacaneúmque illud & minimè neceſſarium inſtitutum, &c.) Multum valet conſuetudo in vtramque partem. Sed hoc loco in malo accipitur. Quod falſum eſt & primo approbatur, id longinquitate temporis approbatum pleriſque vt verum accommodatúmque naturæ traditur. Eſt enim conſuetudo natura altera, quòd natura eorum eſt quæ ſemper, conſuetudo eorum quę ſæpe fiunt & eueniunt, quæ duo vicina ſunt. Ita fit vt ij qui in errore diu verſati ſunt, quoniam penitus in animo inſidet, ob eámque cauſam naturæ accõmodatum verúmque eum putant, aliis vt verum naturæque accommodatum tradant. Veluti ii qui ſimulacra diu coluerunt, conſuetudine error ille in eis penitus inſidet, túmque non errorem iam, ſed veritatẽ eſſe ſibi perſuadent primùm, deinde cæteris. Rectè autem addidit τοῖς πολλοῖς, id eſt, pleriſque, ſiue multitudini. Sapientes enim vix ſolent de ſtatu mentis dimoueri. Cuius rei Lotus vnus exemplo eſſe poteſt, qui inter nefarios & cum ſceleſtis viuens, qui errorem pro vero approbantes, cùm pleroſque inficerent exemplo ſuo, illum à vera ſententia non potuerunt abducere. Primam igitur cauſam, ſiue originem ſimulachrorum exponit, & confirmationem in iis qui primi ea coluerunt, tum eius erroris in alios effuſionem. Prima cauſa ſiue propinqua, eſt erroris in aliquibus vero contempto approbatio, ſecunda eius in eiſdem conſuetudo. Conſuetudo autem erroris impellit, vt errorem pro vero infundamus in cæteros.

φιλανθρώπου δὲ ἢ μᾶλλον φιλοθέου ἔργον ἐστὶν, &c. id eſt. Sed eius eſt, qui homines, aut eius potiùs qui Deum charum habet, &c.) Correctione inſigni vtitur. Primùm hominis eſſe dicit qui homines charos habeat, eos qui aliquid prætermiſerunt eorum quæ ſcire debebant, admonere. Admonet enim omnes charitas, qua omne hominum genus complecti debemus, vt errantem doceant, & ab errore quantùm in ipſis eſt abducant & liberent. Omnes enim natura duce in alios ita animati eſſe debent, vt illos in ſe animatos eſſe velint. Sed magis eſt Deum diligentis illud officium, propterea quòd prima generis hominum inſtitutio, Dei conceſſu & munere intelligentiã veri cognoſcendi cauſa, vt ipſe ait, adepta eſt. Si ergo quiſpiam à prima illa inſtitutione quam Deus procurauit, aberret, magis eſt Deum amantis quàm homines, illum ad primam illam inſtitutionem ſtatúmque reuocare. Hoc autem in admonẽdo conſiſtit maximè. Hinc Chriſtus Matthæi decimooctauo cap. hoc præcipit. Si in te peccauerit frater tuus, vade, corripe illum ſeparatim, & quæ ſequuntur: & Iacobus apoſtolus epiſtola extrema. Si quis ex vobis errauerit à veritate, & cõuerterit quis eum, ſcire debet, & quæ ſequuntur. Quæ quidem duo Iuſtinus hìc ſpectaſſe mihi videtur.

Ἦν μὲν γὰρ καθ' αὑτὴν ἀρκετὴ ἡ ἀλήθεια δεικνύναι, &c. id eſt, Nam ſatis quidem per ſe poteſt veritas, &c.) Cauſa & ratio eſt ſuperioris orationis coniuncta cum obiectionis tacitæ reſponſione. Obiicere enim aliqui poſſent, non eſſe hominis nec homines nec Deum amantis, eos qui contẽpto vno veróque Deo multos colebãt, admonere, quòd veritas ipſa in iis quæ cõdita ſunt elucẽs, ſatis omnes docere poſsit eſſe Deũ vnũ qui ea fecerit. Ille hoc diluit ex eo, ꝙ veritas etſi per ſe hoc poſsit præſtare, tamen nõ in omnibus dominatur & valet, ſed obliuio, dei patiẽtia abutẽs, cùm ſemel mẽtes hominũ occupauit, ad malũ ſe ſolet conuertere. Hoc loco cauſam exponit, quæ homines impulit, vt vnius veriq; Dei cultũ ad res quæ creatæ ſunt, trãſferrẽt. Quæ ergo principio orationis ab eo expoſita eſt, ea eſt diaboli, id eſt, inuidia: quæ autem hìc affertur, ea eſt hominis propria, id eſt quod vulgò dicitur, ex parte hominis. Eſt autem obliuio, ſiue Dei beneficiorúmque eius, ſiue ſuppliciorum quæ negliguntur propter eius patientiam. Beatus Paulus alias cauſas principio epiſtolæ ad Romanos exponit. Ait enim nota eis fuiſſe illa omnia quæ ad vnius Dei notitiam pertinent, quòd ex operibus Dei, id eſt, ex cælo & mundo Deum cognouerint. Sed ne Iuſtinus à Paulo diſcrepare videatur, ſicuti certè non diſcrepat, illud intelligendum eſt, beatum Paulum in veritate quam opera Dei docent permanere & hærere, Iuſtinum autem longiùs progredi, quòd veritas illa per ſe quidem illud efficere poteſt, ſed non efficit, propterea quòd obſcuretur iræ diuinæ obliuione, quam pariat Dei patientia & clementia. Atque hoc ipſum eſt quod idem

Paulus

Paulus paulò pòſt ait, An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? aut ignoras quòd benignitas Dei & patientia te ad pœnitentiam inuitat? & quæ ſequuntur.

καὶ δὴ ὀλίγων νομὴν πονηρίας ἔσχον οἱ πολλοί, &c id eſt. Atque à paucis improbitatis quaſi paſtum & pabulum plerique acceperant,&c.)Cur pauci multis inſtitutum hoc colendi deos tradant, paulò antè docuit, nũc cur multi hunc errorẽ ab illis accipiant docet. Ait enim hoc eis euenire, quòd eius quod ſtabile eſt & immutabile, in eis obſcuretur cognitio, quæ quidẽ conſuetudo eſt multitudinis. Multitudo enim ea bona quę videntur & adſunt, etſi mutabilia & caduca ſunt, ſtabilibus facilè anteponit. Senſu enim perturbationéque, non ratione & conſilio ducitur ad agendum.

ἐγὼ δὲ, ὡς μικρῷ πρόσθεν ὑπέστην,&c.id eſt. Ego autem, vt paulò antè promiſi,&c.) Adduxit in odium eos qui primi deorum colendorum aliis cauſam & occaſionem dederũt. Nunc gratiam ſibi conciliat, officij ſui commemoratione. Eſt etiam in extrema hac circunſcriptione quaſi propoſitio eorum de quibus dicturus eſt, aut quæ probaturus. Pollicetur enim ſe daturum operam, vt ij quidem qui prudentes ſunt, immutabilem teneant eius qui nouit omnia religionem. Quibus autem rationibus id præſtaturus ſit, & cur ita docet, vt modeſtiæ moderationíſque animi cauſa & nomine conciliet gratiam.

χώριζε θνητῶν θεὸν, &c. id eſt. Secerne ſemper Deum à mortalibus,&c.) Hi verſus non ſunt in iis Æſchyli comœdiis quæ extant.

εἷς ταῖς ἀληθείαισιν,&c.id eſt. Eſt vnus, eſt verè,&c.)Sophoclis tragœdia vnde hi verſus à Iuſtino ſumpti ſunt, non extat, quemadmodum alio loco dixi.

θεὸν δὲ τοῖον,&c.id eſt. Deúſque qualis eſt,&c.) Philémonis comici comœdiæ nulla extat, quod ſciam. Quod hoc loco dictum volui, ne quis à me diligẽtiam poſtulet, quam in eorum ſcriptorum qui extant, inter ſe conferendis monumentis adhibeo.

μοῦσαι, ἐξερέω γάρ,&c.id eſt. Muſæ, effabor nam, &c.) Primum huius verſus verbum ad ſuperiorem pertinet, quemadmodum ex oratione parænetica ad Gentes in qua poſitus eſt, intelligi licet. Itaque eum hoc etiam loco primum poſui, quòd eum à Iuſtino prætermiſſum non exiſtimem.

εἴ τις ἐρεῖ,&c.id eſt. Si quis ait,&c.) Verſus tantùm legi Pythagoræ, qui aurei inſcribuntur, neque hi in illis inſunt.

ἔσται γὰρ ἔσται κεῖνος αἰῶνος χρόνος,&c.id eſt.

Præſens erit nam tempus illud ſeculi,&c.)

Ne hi quidem Sophoclis verſus in eis ſeptem comœdiis quæ ſolæ extant reperiuntur. Quin ne Clemens quidem Alexandrinus tragœdiam nominat.

ἥντερ ποιήσει θεὸς, &c. id eſt. Quod pòſt Deus faciet,&c.) In hoc verſu Philémonis ſecundum verbum tertium, & tertium ſecundo loco eſſe debere, leges verſus declarant. Iambus enim ſecundum locum, ſiue ſedem tenere debet quemadmodum etiam tenet in ſuperioribus. Sic ergo reſtituendus & corrigendus eſt, ἥντερ θεὸς ποιήσει&c. Error igitur ex traiectione natus eſt, etiam ſi apud Clementem Alexandrinum ſcripta hæc ſint eodem ordine.

πάλιν ὁ Πλάτων ἐν Τιμαίῳ, εἰ δέ τις, &c. id eſt. Rurſus Plato in Timæo, Si quis verò, &c.) Locum hunc in Timæo inuenire non potui.

οὐδεὶς μ' ἀρέσκει περιπατῶν ἔξω, θεὸς,&c.id eſt. Nemo placet mihi ambulans extrà Deus) ex Menandri comœdiis multis Iuſtinus multa profert, cùm eius nulla extet hodie, quod ſciam.

Φοῖβος κελεύσας μητρὸς ἐκπρᾶξαι φόνον, &c. id eſt. Phœbus iubens me afferre matri necem, &c.) profert hoc loco Iuſtinus multos verſus ex Oreſte Euripidis, ſed tres primi à cæteris ſeiuncti ſunt in illa tragœdia interiectis ferè ſex paginis. Itaque omiſſum eſſe hoc. καὶ μικρῷ ὕστερον, id eſt. Et paulò infrà aut aliquid tale exiſtimo. In dimidiato autem verſu qui eſt extremus omnium pro σῶσαι in Euripide ſcriptum eſt λῦσαι quod magis conuenit. Itaque illud ſequutus ſum. Diſsimilitudines etiam aliæ inſunt, ſed quoniam leues ſunt, non egere admonitione noſtra exiſtimaui.

ἀπὸ θυγατρὸς τῆς Ἐρεχθέως ἤ μοι

μέλει,&c. id eſt.
Verùm mihi quid Erechthei filia
Curæ eſt? &c.)

In Ioue Euripidis longè aliter hi verſus legũtur. Certis in locis integriores ſunt ij quos Iuſtinus profert, aliis ij qui in vulgatis Euripidis exemplaribus habẽtur. In tertio quidem pro πελάγεσιν, τροχοῖσιν, id eſt, rotis in Euripide legendum eſt, & in Iuſtino ἐλθὼν eodem in verſu deeſt. In quarto καθεῖς, vt eſt in Euripide, & νουθετητέος, id eſt, admonẽdus eſt, legendum eſt in Iuſtino: in quinto παρέχει eſt ſcriptum apud Iuſtinũ, apud Euripidem πάσχει. In ſexto hic πικνουμένους: in Euripide in nominãdi caſu, πικνούμενος, quorum illud mihi magis probatur. In ſeptimo ὠδικρατεῖς apud Iuſtinum ſcriptum eſt, apud Euripidem, duo verba ſunt ἐπεὶ κρατεῖς, quorum neutrum probo, ſed in nominandi caſu numeri ſingularis ὠδικρατὴς, id eſt, victor. In octauo pro ὧν, αἳ vt eſt ſcriptum apud Iuſtinum legendum eſt. Itaque in proximo πεφύκῃ legi debet. In.11. magna eſt diſſimilitudo. In vno enim αἰομίας, id eſt, in Euripide poſitum eſt, & apud Iuſtinum pro eo ἀδικίας, in patrio caſu eſſe debet. In Iuſtino integrior eſt proximus, πάρεστι enim legendum eſt, non γάρ ἔσται, & τῷ λόγῳ, non τῷ λοιπῷ. In proximo apud Iuſtinum ναοὶ ει pro ναοὺς legitur: & in Euripide, κινώσετε pro κινώσατε. In ſequenti πέρας, nõ πάρος apud Euripidem legendum eſt. In proximo apud Euripidem pro κακῶς κακούς. In extremo omnium ſiue διδάσκοντας ſiue διδάξαντας legamus ferri poteſt, ſed Euripides alterutrum tantùm poſuit. Quis non miretur in tam paucis verſibus tot tãtáſque diſsimilitudines differentiáſque inueniri? Ex quibus illud etiam intelligi poteſt, quàm multas notare poſsimus in cæteris, ſi extarent exemplaria.

Διότι τὸν ὄντα κύριον πάντων ἀεὶ, &c.

Iuſtinus Menãdri hos verſus in Diphilo eſſe dicit: alij ipſius Diphili eſſe dicunt, veluti. Quæ duo conſtare & cohærere nequeunt, niſi Diphilus eos mutuatus ſit à Menandro, & Iuſtinus eos apud Menandrum legerit. Apud Diphilum quidem primi duo verſus ſunt ij, γενικώτατον ὄντα πάντων πατέρα, &c. τοῦτον διὰ τέλους τίμα μόνον, ex quibus intelligitur in Iuſtino τιμᾶν in infinito modo corruptum eſſe, & pro eo τίμα in præſenti modi imperandi eſſe ponendum.

παρ' ὁμήρῳ γὰρ ὁ μὲν Δημοδόκος αὐτοδίδακτός φησιν εἶναι, θεὸς δέ μοι ἔμβαλεν οἴμους.) Locus hic totus corruptus eſt, quemadmodum ex Odyſſeæ decimo, id eſt, vigeſimoſecundo libro ex quo ſumptus eſt, intelligi licet. Ibi enim nõ Δημοδόκος, ſed Φήμιος citharœdus is qui hæc Vlyſsi dicit, ne ſe interficiat, dicitur. Verſus etiam dimidiatus quem profert Iuſtinus, longè alius eſt apud Homerum. Quod quò faciliùs intelligatur, verſum totum proferam.

Αὐτοδίδακτος δ' εἰμὶ, θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμας
παντοίας ἐνέφυσεν, id eſt, vt conuerti,
Sum doctus per me, & Deus omnimodos mihi cantus
In mente ingenuit. Sic ergo libri corrigendi ſunt.

FINIS OBSERVATIONVM IN LIBRVM
de Monarchia beati Iuſtini.

ARA 2975